QUAESTIONUM AD CICERONIS BALBIANAM SPECTANTIUM CAPITA TRIA

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM GISSENSIUM ORDINE
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

HANS KADEN
ZVICAVIENSIS

BERLIN 1912
Börsenbuchdruckerei Denter & Nicolas
Neue Friedrichstraße 43

Genehmigt durch das Prüfungskollegium
am 11. Juli 1912.

Referent: Dr. Immisch.

EDUARDO NORDEN
OTTONI IMMISCH
ALFREDO KÖRTE
S.

Sanctissimum est meminisse cui te debeas.
Publilius Syrus.

CONSPECTUS

INDEX LIBRORUM POTIORUM IN CONSCRIBENDA DISSERTATIONE A ME ADHIBITORUM.

(De eis, qui ante me de Balbo egerunt, cf. Hoche p. 2. Gasquy pgg. 2/3.)

Bahrfeldt, M. „Die Münzen der Flottenpräfekten des M. Antonius.“ Numism. Zeitschr. 37, 1905, 30.

Boissevain, de Boor, Büttner-Wobst. Excerpta Constantini Porphyrogeniti 1903—1910. III.

Bruns. Fontes iuris Romani. 6. ed. Mommsen 1893.

Bursian. Jahresberichte 34. — 46. — 52.

Cichorius. „Feuertod mit Eingraben im Altertum.“ Festschrift zur Jahrhundertfeier der Universität zu Breslau im Namen der Schlesischen Gesellschaft für Volkskunde. 1911.

Corpus Iuris Civilis. I (Institutiones et Digesta). 9. edd. Krueger-Mommsen 1902.

Drumann. „Geschichte Roms in seinem Übergang von der republikanischen zur monarchischen Verfassung.“ II² ed. Groebe 1902.

Eußner. Berliner Philologische Wochenschrift VIII., 1888, p. 1594 sqq.

Fabricius. „Über die Entwickelung der römischen Verfassung in republikanischer Zeit.“ Freiburger Prorektoratsrede 1911.

Fischer, Fred. „Senatus Romanus, qui fuerit Augusti temporibus.“ Diss. Berol. 1908.

Funaioli. Grammaticae Romanae fragmenta I, 1907.

Ganter. „Die Provinzialverwaltung der Triumvirn". Diss. Argent. 1892.

Gasquy. „De M. Tullii Ciceronis pro L. Cornelio Balbo oratione sive de civitatis iure ex Ciceronianis libris." Thèse Paris 1886.

Heiter. „De patriciis gentibus, quae imperii Romani saeculis I. II. III. fuerint." Diss. Berol. 1909.

Hellmuth. „Über die Sprache der Epistolographen S. Sulpicius Galba und L. Cornelius Balbus." Progr. des alten Gymn. Würzburg 1887/88.

Hoche. „De L. Cornelio Balbo." Progr. der Klosterschule Roßleben 1882.

Jullien. „De L. Cornelio Balbo maiore". Thèse Paris 1886.

Karlowa. „Römische Rechtsgeschichte" I, 1885.

Klotz, M. Tullius Ciceros sämtliche Reden III, 1839.

Lange. „Römische Altertümer" III^2, 1879.

Marx. Incerti auctoris de ratione dicendi ad C. Herennium libri IV, 1894.

Mommsen. „Römisches Staatsrecht" I^3, 1887 ff. „Römische Geschichte" $1903/04^9$. „Römische Forschungen" I^2, 1864. „Das römische Münzwesen" 1860^2.

C. F. W. Müller-Friedrich. Ciceronis opera, quae manserunt omnia, 1893 sqq.

Neumann. „Römische Staatsaltertümer" (Gercke-Norden, Einleitung in die Altertumswissenschaft III) 1911.

Orelli-Baiter-Halm. Ciceronis opera quae supersunt, 1856 sqq.

Peter. Historicorum Romanorum reliquiae, 1870.

Peterson. Ciceronis orationes, 1911 (Oxford).

P r e i s w e r k. „De inventione orationum Ciceronianarum.“ Diss. Basel 1905.

R e i d, M. T. Ciceronis pro L. Cornelio Balbo oratio ad iudices, 1908 (1878[1] Cambridge).

R e i n. „Das Privatrecht und der Zivilprozeß der Römer von der ältesten Zeit bis auf Justinianus“ 1858.

R i c h t e r. „Topographie von Rom“ (J. Müllers Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft III, 3, 2[2]) 1901.

R i c h t e r - E b e r h a r d - N o h l. Ciceros Rede für den Dichter Archias (für den Schul- und Privatgebrauch), 1893.

R o h d e. „Cicero, quae de inventione praecepit, quatenus secutus sit in orationibus generis iudicialis.“ Diss. Königsberg 1903.

S c h m i d t, O. E. „Der Briefwechsel des M. T. Cicero von seinem Prokonsulat in Cilicien bis zu Cäsars Ermordung“ 1893.

S c h w a r t z, E. Hermes 33, 1898, 184. („Zu Nikolaos' von Damaskos Biographie des Kaisers Augustus.“)

S ü ß. „Ethos; Studien zur älteren griechischen Rhetorik.“ 1910.

T h i e l e. „Hermagoras“ 1891.

T y r r e l l and P u r s e r. „The correspondence of Cicero, arranged according to the chronological order.“ 1890—1904.

W a c h s m u t h. „Einleitung in das Studium der alten Geschichte.“ 1895.

W a l d e. Lateinisches etymologisches Wörterbuch[2] 1910.

W i l l e m s. „Le sénat de la république Romaine“ 1878—1885.

Z u m p t. „Das Kriminalrecht der römischen Republik“ II[2], 1871.

Caput I.

De L. Corneli Balbi vita.

§ 1.

„Bewundert viel und viel gescholten —" hoc Goethianum de Helena dictum quadrare mihi videtur etiam cum in multos alios homines tum inter Romanos in L. Cornelium Balbum, Pompei Caesarisque amicum, quem Cicero oratione sua defendit. Quam orationem, ut pertractandam mihi proponerem, factum est Eduardi Nordeni de Cicerone scholis, qui auditoribus suis, ut hanc orationem doctorum virorum studiis minus frequentatam adirent, suadere solebat. Quod amplexatus sum eo libentius, quo magis mihi iam diu ultima illa liberae Romanorum rei publicae labefactatae ac defessae tempora cordi erant.

Atque est L. Cornelius Balbus non una ratione vir summi momenti; non solum in rebus publicis clam palamque gerendis sagacissimum se praebebat hominem — Ciceronem tantopere aeris alieni laqueis irretivit, ut ille postremo tamquam piscis in verriculo palpitaret, — sed etiam operam navabat litteris, quarum verisimile est studium non solum in eo ipso, sed etiam in tota eius gente floruisse[1]).

Quaecunque de L. Cornelio Balbo novimus, paene omnia cum e Ciceronis oratione pro illo habita tum e permultis epistulis haurienda sunt, passim alii quoque scriptores adhibendi erant (v. indicem). Monendum vero est inter epistulas Ciceronianas nonnullas esse quas Balbus M. Tullio misit (Tyrrell 346, 354, 370 = ad Att. VIII, 15 A; IX, 7b; 13 A.); unam scripsit una cum Oppio (T. 351 = A. IX, 7a); unam a Cicerone accepit (T. 347 = A. IX, 7c). Ceterum non semper facile est ad diiudicandum, utrius Balbi, maioris an minoris, fiat in epistulis mentio, cum saepius nihil nisi nomen Balbi sit commemoratum; tamen de utro dicatur, videbis, si diligenter contemplatus eris cum *περίστασιν* epistulae tum quo tempore scripta sit.

---

[1]) Quamquam Hispani postea demum litteris valde excellebant; cf. aliis praetermissis Senecam, Quintilianum, Martialem.

De sermone Balbi egit Hellmuthius in libri sui paginis 29—59. Docet illum non semper idem scribendi genus praebere ac Ciceronem atque Caesarem. Ipsas vero Balbi in hac re rationes, praesertim cum eius epistulas non habeamus nisi tres, certo iudicare non possumus, quamquam, quae ratio inter Balbi et Caesaris scribendi consilia intercedat, id scire res per se esset summi momenti.

„Sed iam satis est philosophatum, nimis diu et longum loquor“ — ad rem ipsam me converto.

§ 2.

Ut primum de nominibus pauca afferam, doctorum virorum paene unumquemque alium in modum censuisse videmus de cognomine Balbi. Ac primum quidem Hocheus secundum ea, quae p. 2 adn. 2 affert, id fere sentire mihi videtur Balbum inde esse dictum, quod, cum esset peregrinus, primo, etsi postea optime assuerat Latine loqui, operam dare eum necesse erat, ut Latine disceret, qua in re initio eum balbutisse probabile est. Nonnulli alii a vocabulo Baal profecti dicunt eum peregrinum suum nomen Balbo Romano nomini adaptasse[1]) monentes de monte sito in campo Carthaginiensium, quem Livius dicit incolas Balbum vocasse (29, 31, 7), qua in appellatione insit eadem Punici nominis accommodatio (Nauze Mem. de l'Ak. des Inscr. XIX, 1745, p. 330). Sed mimine probandum hoc est; nam apud Livium (Massinissa... in montem — Balbum incolae vocant — perfugit) *Balbum* solum exstat in deterioribus codicibus, e. g. in codice Spirensi S secunda manu scriptum est. In codice P (Puteaneo saeculi V nunc Parisino 5730) exstat *Bellum*. Codicis P, qui est omnium longe optimus (cf. Schanz VIII, 2, 1[3]. Teuffel-Kroll 124, 13. Luchs praef. vol. IV), retinenda mihi esse videtur lectio, praesertim cum S recentior sit. Sed tota haec ratio est nimis incerta. Habemus autem iam inde a secundo a. Chr. n. saeculo etiam inter nobiliores Romanos complures Balbos (cf. Thes. ling. Lat. II, 1693 sq), quorum cur nomen ille, cum civis esset factus, adsciverit, tutius est nescire quam hariolando divinare.

---

[1]) Jullien p. 17: „Non dubium est igitur, quin illud nomen Balbi ex punica lingua sit ortum, qua utebantur Gaditani. Cuius priore in parte deprehendere licet verbum Bal vel Baal, quod in nominibus eadem origine ortis saepissime invenitur“ et adn. 4: „Cf. Hannibal, Adherbal, Hasdrubal“.

Praenomen nomenque ita explico, ut credam gentem eius nomina non accepisse ab eis, qui legem illam Gelliam Corneliam tulerunt, consulibus (pro Balbo VIII, 19), quae est Landgrafi sententia (Bursian ann. 34, 1883, p. 66) partimque Abrami quoque (praef. Balb.). Quam rationem nimis artificiosam esse puto. Neque enim ullo confirmatum habemus testimonio ullum hominem alterius sibi sumpsisse praenomen, alterius nomen[1]). Neque tamen ad arbitrium electa nomina habet, quae est Drumanni opinio (Geschichte Roms II², 512), quam minime probare possum. Nec cum Paulo Manutio faciam, qui haec exhibuit (Arg. Cic. Balb.): „L. Cornelius Balbus appellatur, quia, licet a Pompeio sit civitate donatus, beneficium tamen illud L. Corneli Lentuli gratia consecutus est: a quo et praenomen et nomen de more sumpsit". Contra dicendum est iam patrem Balbi Lucium appellatum esse; qua de causa Hocheius (p. 5 extr.) rem optime explicasse mihi videtur, qui putat Balbum nomen sumpsisse ab illo L. Cornelio Lentulo, qui anno a. Chr. n. 199 hospitium cum Gaditanis fecerat (B. XVIII, 41); sumpsit, ut eum grata memoria prosequeretur.

Quamvis in illis nummis[2]), quos Balbi multo post cudendos fecerunt, vocabulum Balbi sine ullo additamento legamus, tamen e Ciceronis epistulis[3]) apparet eum praeterea appellatum esse „maiorem", ut distingueretur a fratris filio, qui „minor" nominabatur, quam rem etiam bis apud Plinium[4]) habemus commemoratam.

Gadibus eum honestissimo loco natum esse saepe legimus[5]); nonnullis testimoniis eum in Hispania ortum esse confirmatur[6]).

---

[1]) Jullien p. 13 extr.

[2]) Babelon I, 429, II, 43. Eckhel V, 188. Cohen I³, 121. Cf. Willems Le sénat de la républ. Rom. I, 609 adn.

[3]) ad Att. VIII, 9, 4: Balbus quidem maior ad me venit (supra: Balbus minor ad me venit).

[4]) n. h. V, 36: (Cornelio Balbo minori) civitas Romana cum maiore Balbo patruo data est; VII, 136: Fuit et Balbus Cornelius maior consul.

[5]) pro B. § 5: unum ei obicitur natum esse Gadibus quod negat nemo. § 6: Hunc enim in ea civitate, in qua est natus, honestissimo loco natum esse concedis.

Dio Cass. XLVIII, 32, 2: ... Λούκιος Κορνήλιος Βάλβος, Γαδειρεύς τε ὤν,

[6]) Tac. ann. XI, 24: num paenitet Balbos ex Hispania .... transivisse; ad Att. VII, 3, 11: .... Tartessium istum. ..... De verbo Tartessius agit Gasquy p. 21 sqq., qui omnibus sententiis perlustratis dicit (p. 23):

L. Corneli Balbi patri nomen Lucio fuisse fastorum consularium testimonio confirmatur (C J L I², 158 ad annum 40): L. Cornelius Balbus L. f.[1]).

Gaditani iam pridem erant dediti Romanis, quorum duces in bellis multis levarant opibus[2]). Praeterea L. Marcius primi pili centurio[3]) anno a. Chr. n. 212 utroque Scipione interfecto a militibus dux creatus cum Gaditanis foedus icisse dicebatur, cum non mandata haberet a civibus tradita. Quod foedus Marcianum ut postea renovarent, M. Aemilio Qu. Catulo consulibus (C J L I² 154 a. 78) senatum adierunt Gaditani, ut secum foedus rite iniret, quod pactum populus comprobavit, etsi lege non confirmabatur. Ceterum monendum esse puto Gades fere anno 206 factas esse urbem Romanam; cf. Mommsenum R. G. I, 645[4]).

Balbus, cum bellum Sertorianum in Hispania gereretur, cum Qu. Metello Pio Pompeioque Magno et imprimis cum C. Memmio, Pompei quaestore, se coniunxit, quippe qui, cum esset Pompei sororis maritus, permultum apud illum valeret[5]). Usque ad belli finem cum Pompeio erat, proeliis Sucronensi, qua Sertorius victoriam a Pompeio reportabat, Turiensique intererat, multis, neque solum bellicosis, rebus excellentem hominem utilissimumque se praestabat[6]). Quo bello confecto lex Gellia Cornelia de civitate lata est[7]), qua Pompeio facultas est data eorum, qui a consilio suo probati erant, civitate donan-

„ex origine nominis, ex oppidi situ Tartessus Carteiae nomen antiquius videtur fuisse; sensim vicina regio Tartessia vocata est, unde Gaditani et ipsi Tartessi appellari potuerunt“ (cf. R. E. VII, 439^{58}—440^{18}.) Sed apud Ciceronem mea sententia hoc contemptim est dictum. Vell. Pat. II, 51, 3: non Hispaniensis natus, sed Hispanus (i. e. non is, qui Romae natus Hispaniam venit, sed is, qui in Hispania ipsa natus est). Cf. Mart. XII, praef. .... non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum.

1) Cf. Fastos Augurum (fast. min. III): L. Cornelio L. f. Balbo P. C. (anidio P. f. crasso suff).

2) pro B. 34; 39 sqq. De tota hac quaestione cf. R. E. VII¹, 455/6. Orelli V, 376.

3) Liv. XXXII, 2, 5; XXV, 37, 1—7; 38; 26, 2; 28, 23. 30. 36. 37. pro B. 34. Appian. de reb. Hisp. 37. Gasquy pp. 19—26 impr. 25. R. E. IV¹, 1492^{42-62}; VII¹, 455/6.

4) Mommsen, Röm. Gesch. V, 61: ... „die altberühmte Schwesterstadt Carthagos, Gades, das heutige Cadiz, (war) die erste fremdländische Stadt außerhalb Italiens, welche römisches Recht und römische Sprache annahm“.

5) pro B. 2, 5: Cetera accusator — a Memmio discessisse.

6) pro B. 2, 5—3, 6.

7) 8, 19; 14, 32: lex — dederat. 33: in rogatione ea — lata est.

dorum. Quae cum ita essent, ille cum alios Gaditanos de Romanorum imperio bene meritos tum Balbum eiusque consanguineos illo honore affecit[1]). Novus ille civis Romanus initio tribui inferiori intererat; postea, cum senatorem quendam de ambitu accusasset, legis Liciniae et Muciae praemio in superiorem pervenit[2]). Quae tribus erat Clustumina quae vocabatur[3]). Quam etiamsi rusticam fuisse scimus, tamen ex eis, quae Mommsenus[4]) de hac re scripsit, constat eam plus valuisse quam urbanam. Quae res vel uno loco maxime illustri confirmatur; nam apud Plinium[5]) legimus: ... rusticae tribus laudatissimae eorum, qui rura haberent, urbanae vero, in quas transferri ignominia esset desidiae probro ....

Quod ego posui Balbum primum urbanae, deinde rusticae interfuisse tribui, id defendendum mihi videtur ab ea dubitatione, quam quis secutus dicat fortasse eum civem Romanum factum non statim in superiorem pervenisse tribum[6]).

Quod non in ipsis tribubus rusticis factum esse iam inde intellegitur, quod nullo loco invenimus tribus rusticas auctoritate inter se esse distinctas[7]).

---

[1]) pro B. III, 6: donatus — civitate; VIII, 19: donatum esse — accusator fatetur; III, 7 ubi igitur — civitate donavit; XVII, 38 Cn. Pompeium — huic dedisse. Plin. n. h. V, 36. Scr. Hist. Ang. XXI, 7, 3.

[2]) Mommsen, Röm. Staatsrecht III[1], 184 (6. 7. adn. 1): „Analoger Art ist eine uns aus dem Repetundengesetz vom Jahre 631/2 bekannte, aber vermutlich in manchen ähnlichen Fällen getroffene Bestimmung, daß der Nichtbürger, der auf Grund dieses Gesetzes einen schuldigen Bürger mit Erfolg zur Verantwortung zieht, von Rechts wegen in dessen Tribus einrückt. Ein gleiches Privilegium verstattete dem römischen Bürger, auf diesem Wege eine bessere Tribus sich zu verschaffen".

De civitate danda: Sei quis eorum, quei civis Romanus non erit, alterei .... detolerit, ... tu (m eis .... in quam tribum, quoius is nomen ex h. l. detolerit, suffragium tulerit, in eam tribum suffragiu)m ferunto inque eam censento.

Pro B. XXIV, 54 quod si — esse posset.

[3]) pro B. XXV, 57, init.

[4]) Röm. Staatsr. III[1], 171. Nomen quomodo scribendum sit cf. Mommsenum, Röm. Staatsr. III[1], 171, adn. 18.

[5]) n. h. XVIII, 3, 13.

[6]) Cf. Mommsen, Röm. Staatsr. III[1], 175, adn. 2: „Daß L. Cornelius Balbus auf dem p. 184, Anm. 2, bezeichneten Wege in die Clustumina gelangte, ist kein Gegenbeweis; er kann vorher einer städtischen Tribus angehört haben".

[7]) Mommsen, Röm. Staatsr. III[1], 175: „Von einer Verschiedenheit der Landdistrikte unter sich erfahren wir nichts; vielmehr haben sie

Illis temporibus Pompeius in animo habebat cum Caesare intimum inire foedus, qua in re utebatur quasi interprete Balbo, maximis exornato divitiis[1]), assumpto in ordinem equestrem[2]). Quem delegit, cum iam pridem ex illo tempore, quo Caesar munere quaestorio fungens in Hispania diuque imprimis Gadibus[3]) morabatur, cum illo familiarissime esset coniunctus[4]). Caesar tum quoque, cum pro praetore Hispaniae ulteriori praeesset provinciae[5]), Balbum sibi obligavit, cum eum praefectum crearet fabrum[6]), cui omnium rerum semper habebat fidem[7]), cuius amore adductus Gadibus, Balbi patriae, omni modo favebat[8]), quae beneficia Gaditani, qui, cui illa deberent, sciebant, tanti aestimaverunt, ut hospitium cum Balbo inirent[9]). Quam rem Cicero postea, cum defenderet Balbum, iure optimo attulisse mihi videtur, ut testimonio confirmaret illum non iam civem Gaditanum, sed Romanum esse (vide de hospitio mea in secundo capite).

Callidissimum dexterrimumque hominem Pompeius ut sibi magis adiungeret, Theophanem Mytilenaeum, Graecum natu a se in contione civitate donatum (pro Archia X, 24), quem cum bella gereret semper secum habebat (Strabo XIII, 2, 3), adduxit, ut Balbum adoptaret[10]). Quae res postea ab adversariis agitata[11])

---

allem Anscheine nach nicht bloß an Rechten, sondern auch an Ansehen gleichgestanden, und Abstufungen, wie sie bei den städtischen Tribus wahrgenommen wurden (Sucusana [Suburana] — Palatina — Esquilina — Collina), hier sich niemals entwickelt."

[1]) pro B. XXV, 56. ad Att. IX, 13, 8; VII, 7, 6. Dio XLVIII, 32, 2.

[2]) Tac. ann. XII, 60.

[3]) Suet. Caes. 7.

[4]) pro B. XXVIII, 63: quid enim — cum familiarissimis eius est adaequatus. 65 amicitias clarorum virorum. — ad Att. II, 3, 3 (Dec. a. 60) .... Caesaris familiarem ...; cf. VII, 7, 5,

Suet. Caes. 81: ..... Caesaris familiarissimus.

[5]) Suet. Caes. 18: Ex praetura ulteriorem sortitus Hispaniam ....

[6]) pro B. XXVII, 61: In praetura — praefectum fabrum detulit.

[7]) pro B. XXVIII, 63: consilium hominis — observantiamque dilexit.

Ad verba „inveteratam quandam barbariam ex Gaditanorum moribus disciplinaque delerit", quae interpretatione indigent, vide infra additamentum.

[8]) pro B. XIX, 43 omitto, quantis — beneficia contulerit.

[9]) pro B. XVIII, 41, 42, 43.

[10]) ad Att. VII, 7, 6: .... placet .... Mytilenaeo. — De adoptione cf. Jullienum, p. 43 sqq.

[11]) pro B. XXV, 57: et adoptatio — adsecutus. — Hic locus etiam indiget explicatione; vide infra additamentum 2.

magnas illi attulit divitias praetereaque in negotiis maximis gerendis erat ei magni momenti, etsi hoc non diu, quia bellum civile nonnullis annis post excitatum in duas eos distraxit partes. Ceterum quomodo Balbus tum sit appellatus, incertum est. Recte enim Iullienus (p. 45): „Si morem a maioribus traditum secutus est Balbus, iam vocatus est M. Pompeius Cornelianus Balbus. Sed constat in ea re tum paulum variatum fuisse. Itaque cum nullae tabularum publicarum reliquiae testentur, quae sibi nomina assumpserit Balbus, haec in medio relinquam". Ego vero credo, Balbum etiam postea L. Cornelium Balbum appellatum esse. Id enim, quod Manutius affert (Arg. in or. Balb.: „Idem Balbus, cum adoptatus esset a Theophane Mytilenaeo, Pompei liberto, Theophanis cognomen accepit") fultum est testimonio quodam, quod de Balbino imperatore[1]) legitur apud scriptores historiae Augustae XXI, 7, 3: familiae vetustissimae, ut ipse dicebat, a Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeium civitatem meruerat, cum esset suae patriae nobilissimus. Sed praeter hoc testimonium alia, quae pro documentis adhiberi possunt eum Theophanem appellatum esse, e. g. tituli, praesto non sunt. Attamen fortasse quispiam dicat testimonium historiae Augustae recto talo stare; cf. Hocheum p. 6, qui putat re vera gentem Balbini ex ea adoptione deducendam esse Balbumque cognomen Theophanis accepisse, quae res bello civili confecto neglecta sit. Opinionem imperatoris igitur rectam fuisse (cf. Iullien. p. 151)[2]). Mea autem sententia huic opinioni obstare videtur titulus quidam, de quo infra planius loquar; exstat CIL X, 3854; ibi legimus civitatem Capuensem datam esse L. Cornelio L. filio Balbo cos. Atque ego credam, si Balbus re vera Theophanes appellatus esset, minime illud cognomen, etsi post bellum civile ab eo non iam usurpatum esset, in hoc publico titulo defuturum fuisse. Sed res est incerta.

Pompeius, qui quanto usui Balbus esset futurus non ignorabat, eum multis donis donabat, quae Balbi invidiam inter nobiles exortam vel augebant. Ipsum vero illa invidia non offendebat, qui, cum omnia invidiosa neglegeret, sua magnificentissime

---

[1]) R. E. III[1], 1258 s. v. Caeli 20.

[2]) Vir doctus Carolus Heiter in dissertatione sua, quae inscribitur „De patriciis gentibus, quae imperi Romani saeculis I. II. III fuerint" (Berol. 1909) putat illa a Balbino ficta esse.

exornabat atque eos, qui tunc rem publicam administrabant, opera atque officiis modo exiguis modo magnis sibi devincire pergebat.

Una cum Caesare operam dabat quam maxime, ut triumviratus conderetur. Ab illo clarissimo duce, qui tum consul creatus erat, Ciceroni Pompeioque persuadere iussus est illum nihil aliud in animo habere nisi omnibus in rebus eorum sequi consilium[1]).

Anno a. Chr. n. 59 cum aliis quibusdam L. Valerium Flaccum, qui anno 69 M. Pisonis in Hispania fuerat quaestor (cf. Cic. pro Flacco 6) reum fecit[2]). Puto optimo iure Muenzerum censere[3]) eius a Cicerone in oratione Flacciana non esse factam mentionem[4]), quod, cum illo tempore orator Balbo familiariter uti coepisset, telis fortunae obicere eum nolebat.

Ceterum hunc Flaccum dicat quispiam non eundem esse atque illum a Cicerone defensum, quia cognomen Heptachordi nullo loco nisi illo Valeriano est traditum. Quod probandum non est reputanti C. Antoni quoque, Ciceronis in consulatu administrando collegae, cognomen Hybridae nullo nisi uno loco[5]) commemoratum esse.

Quae cum ita sint, cum Balbus quidam duobus illis locis, bis accusator, sit commemoratus, non habemus, quod illum non

---

[1]) ad Att. II, 3, 3 (mens. Dec. a. 60): nam fuit — Crassum coniungeret.

[2]) Valer. Max VII, 8, 7: L. Valerius, cui cognomen Heptachordo fuit, togatum hostem Cornelium Balbum expertus, utpote opera eius et consilio compluribus privatis litibus vexatus ad ultimumque subiecto accusatore capitali crimine accusatus, praeteritis advocatis et patronis solum heredem reliquit.

Schol. Bobiens. p. 33, 2, ed. Hildebrandt (Teubn.): [Decimus Laelius repetundarum reum Flaccum fecerat] (subscri)bentibus L. Balbo et Apuleio Deciano, quos vult obtrectatores intellegi, invidos gloriae huius Valerii Flacci magisque cupientes destruere virtutem quam ullum crimen ostendere. Quorum personas onerat invidia, quasi nihil aliud adfectent quam coniurationem illam Catilinae, quae hoc adiutore oppressa sit, vindicare.

[3]) R. E. IV[1], 1263.

[4]) Etsi addendum est orationem Flaccianam non integram esse traditam.

[5]) Plin. n. h. VIII, 213: In nullo genere aeque facilis mixtura cum fero qualiter natos antiqui hybridas vocabant, seu semiferos, ad homines quoque, ut C. Antonium, Ciceronis in consulatu collegam, appellatione tralata.

eundem atque hunc Balbum esse putemus, praesertim cum illo tempore nullum hoc nomine appellatum Romae cognoverimus virum.

Vidimus Valerium Maximum tradere Flaccum L. Cornelium, quamvis eius praecipue opera compluribus criminibus esset obiurgatus, solum reliquisse heredem, quod tamen ille non odio omisso, sed potius aegritudine quadam animi gravatus fecisse videtur; hoc apparet ex eis, quae Valerius Maximus addit: nimirum consternatio quaedam animum eius transversum egit. Amavit enim sordes et dilexit pericula et damnationem votis expetivit, auctorem harum rerum benivolentia, propulsatores odio insecutus.

Ciceronem Balbus in exsilium missum multis beneficiis afficiebat, cum eius familiam omni modo consolaretur, quam rem M. Tullius postea grato animo commemoravit[1]).

Anno 58 Balbus, cum C. Julius Caesar pro consule in Galliam profecturus esset, iterum praefectus fabrum est factus, verbo solum, re vera autem, ut apud eum non suspectus moraretur. Romae erat Caesaris, ut utar verbo, vicarius, etsi saepius castra intrabat, sicut postea anno 54[2]); omnium partium in urbe perspiciebat, qua erat calliditate, consilia clandestina, omnes emebat pecunia atquo irretitos tenebat, ita tamen, ut neminem offenderet. Quam rationem quis est qui honestam appellet? Tamen nemo lucrosam eam putare dubitabit. Nam cum de omnibus rebus, quae Romae factae erant, et per litteras et per colloquium Caesarem faceret certiorem multisque in aliis negotiis eius quasi advocatus cum in actionibus pecuniariis hereditariisque rebus tum in nummariis esset, ab illo multis de praeda e Gallia reportata rebus et pretiosis donabatur.

Conferas hoc loco, quam asperis iniquisque verbis Drumannus de eo iudicaverit[3]), qui in ea re, sicut saepius, ultra modum processisse mihi videtur.

Balbo, quamvis haec omnia secunda evenire viderentur, magnum tamen periculum impendebat. Nam optimates, qui quod Pompeius se ab illis avertisset graviter ferebant, eum Caesaremque valde violaturi erant, cum efficerent, ut L. Cornelius

---

[1]) pro B. XXVI, 59: non modo — debitam gratiam refero.

[2]) ad Qu. fratr. III, 1, 12 (m. Sept. anni 54): Balbum quod ais — perque iucundum.

[3]) Geschichte Roms II², 514. (Cf. Jullienum, pag. 50 sqq.)

apud utrumque gratiosissimus de civitate falso sumpta accusaretur[1]), qua accusatione iure virgarum appetebatur[2]). Nemo dubitabat, quin futurum esset, ut in hoc magno periculo Balbo de omnibus fortunis pugnandum esset[3]).

De tempore, quo oratio habita sit, haec habeo, quae proferam[4]). Nullius consulis a Cicerone fit mentio, ne Pompei quidem Crassique, qui anno 55 hoc munere fungebantur. Sed orator mentionem facit illius senatus consulti, quo Caesari supplicatio quindecim dierum — qui numerus erat tum omnino inusitatus — sit concessa[5]). Concessa est expeditione anni 57 finita anni 56 fere autumno Lentulo Marcellino Philippo consulibus, neque, id quod Drumannus quoque optimo iure dixisse mihi videtur, prius neque multo post oratio habita est, praesertim cum initio anni 55 Pompeius aliis rebus maximi momenti esset occupatus Crassusque, qui una cum eo defendit Balbum, anno peracto profectus esset in Syriam.

Praeterea non dubito, quin post triumviratum Lucae renovatum, qua re illi tres inter se reconciliabantur, actio sit agitata. Quamquam accusationem ipsam vix tum demum susceptam esse puto[6]). Ita hoc nihil habuisset nisi minas inutilissimas contra eos, qui summam tenebant imperii. Minime! Spatium interfuisse puto inter accusationem et actionem, quo adversarii uti in animo

---

[1]) pro B. passim.

[2]) Plin. n. h. VII, 136: .... Sed accusatus atque de iure virgarum in eum iudice in consilium misso ....

[3]) pro B. II, 5: Nam verius nihil est — L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare. ....

[4]) Cf. Drumannum, Röm. Gesch. II², 513 adn. 3.

[5]) pro B. XXVII, 61: C. Caesarem dierum novo.

De prov. cons. XI, 26: Supplicationem quindecim dierum decrevi sententia mea .... cumulus dierum .... — .... et novitas et numerus dierum Caesaris ipsius laudi gloriaeque concessus est.

Caesar, De bello Gallico II, 35: Ob easque res ex litteris Caesaris in dies quindecim supplicatio decreta est, quod ante id tempus accidit nulli. Dio Cassius XXXIX, 5: .... καὶ ἐψηφίσαντο πεντεκαίδεκα ἐπ' αὐτοῖς ἡμέρας θῦσαι, ὅτε οὔπω πρότερον ἐγεγόνει.

[6]) Lange, Röm. Altertümer III, 335: „Im Senatsbeschluß zu Ehren Catos sollte ohne Zweifel eine Demonstration gegen die Machthaber liegen; ebenso ist die Anklage aufzufassen, welche im Herbst dieses Jahres von einem Gaditaner gegen Cornelius Balbus, einen Günstling des Pompeius und Caesar, wegen angeblich widerrechtlicher Anmaßung des Bürgerrechts auf Grund der lex Papia gerichtet wurde."

habebant, ut tresviri aliqua re magnopere offenderent; qua spe reconciliatione interim facta destituti Balbo litem intulerunt. Cf. R. E. IV, 1263[42-49].

De eo, qui Balbum accusavit, Cicero per ludibrium loquebatur verbis irrisione plenissimis[1]); Gaditani eum iudicio Romano accusatum propter hanc ipsam Balbi accusationem multa et poena notarant[2]). Qui quamvis Balbum a Pompeio civitate esse donatum fateretur[3]), tamen iure hoc factum esse negavit[4]) nixus lege Papia, „das nicht bloß den römischen Behörden erlaubte, Nichtbürger aus der Stadt zu verweisen, sondern auch den auswärtigen Gemeinden gestattete, ihre Angehörigen, welche sich durch einen Aufenthalt in Rom in das Bürgerrecht einschlichen, wiederzufordern“[5]). Neglecti sunt ab eo hac in re nobilissimi illi Gaditani, qui, ut testimonio suo Pompei confirmarent donum eriperentque Balbum summo e periculo, Romam erant profecti[6]). Accusatoris argumenta satis infirma fortasse iam hac legatione dilui potuerunt; recte Muenzerus (R. E. IV[1], 1263, 26 sqq) hoc monet: „Die rechtliche Grundlage der Anklage stand auf schwachen Füßen, und es hätte vielleicht schon das Zeugnis der Gaditaner, die eine eigene Gesandtschaft für den Angeklagten schickten, genügt, um sie zu entkräften“.

Haec etiam Zumpti est opinio, qui recte intellexit accusationem re vera intentam esse contra eos, qui Balbo favebant — id quod iam supra dixi — i. e. in Pompeium et Caesarem. Scripsit enim haec (p. 242): „Die Anklage erscheint als unbegründet in rechtlicher Beziehung, als zuwiderlaufend dem römischen Gebrauche;

---

1) pro B. VIII, 20: O praeclarum — nostrae civitatis. X, 25: patrone — foederatorum. XI, 27: Sed cum — mutandae civitatis. — Nihil ex his Ciceronis et similibus aliorum antiquorum scriptorum concludi potest, quales adversarii fuerint. Schematis rhetorici hac in re habebatur ratio; cf. Süß, Ethos 243 sqq.

2) pro B. XIV, 32 ignosco — reppulerunt. — XVIII, 42: Accusatorem huius multa et poena notavit.

3) pro B. VIII, 19: Donatum esse L. Cornelium .... accusator fatetur.

4) pro B. VIII, 19: .... negat — venire.

5) De lege Papia cf. A. W. Zumpt, Das Kriminalrecht der römischen Republik II[2], 244. Haec lex etiam in causa Archiae magni momenti est, quae Balbianae aliquatenus similis est; cf. Gasquy p. 9.

6) pro B. XVIII, 41: Laudatores — missos videtis.

sie kann nicht mit Aussicht auf Erfolg, sondern nur mit der Absicht, Balbus und seine Gönner zu kränken, unternommen worden sein".

Caesar, quippe qui in Gallia moraretur, triumviratus socios Ciceronemque impulit, ut Balbum defenderent. Quae res facta est ita, ut primus Pompeius loqueretur[1]), secundus Crassus, tertius proximo die Cicero, quippe qui ex exsilio reversus obsequentem triumvirorum voluntati se praestaret ministrum[2]). Qui se a Pompeio oratum esse, ut haberet orationem, confessus[3]) alias quoque afferebat causas, quibus commotus hanc rem subisset; nimirum rei publicae rationem se habere affirmavit[4]) Balboque multis beneficiis se obstrictum esse[5]). Multis verbis Pompei praedicabat virtutem et in bellis et in pace elucentem[6]), paulo parcius continentiusque de Crasso[7]) ac, quem sibi iam prius nonnullis adiunxerat beneficiis, de Caesare[8]) disserebat. Quae Balbo, cuius causa minime ita videbatur esse gravissima, immo multo magis triumvirorum laudes, iucunda honorificaque esse (cf. XXV, 56—57) certe nemo sibi persuasit eorum, qui Ciceronis audiebant orationem.

His ultimis adducimur, ut quaeramus, ante quos homines causa Balbi acta sit, praesertim cum apud Ciceronem nihil de hac re habeamus certi; iudices simpliciter eos appellat (e. g. XXVIII, 65). — In iudicium caput Corneli vocatur (III, 6). Recte Zumptius adnotat (p. 242/3) hoc non solum spectare ad illam poenam, quae imminebat ei ob civitatem adversariorum sententia falso adrogatam, sed etiam ad aliam quandam; et cum ille locus Plinianus exstet (n. h. VII, 136), quem supra iam commemoravi,

---

[1]) Gasquy p. 6: „Haec accusatio minime Cn. Pompeio spernenda ac neglegenda visa erat, quoniam quidquid in rem, hoc in se dici putaret."

[2]) pro B. VII, 17; XXVI, 59.

[3]) pro B. II, 4: Sed mos — actorem; cf. Lange, Röm. Altertümer III, 335: „Es ist natürlich, daß Cicero schon um des Pompeius willen sich nicht weigern konnte, einen Mann zu verteidigen, den Caesar als Agenten gebrauchte und für den außer Pompeius auch M. Crassus als Verteidiger auftrat, zumal da der Rechtsgrund der Anklage, daß dem Balbus wegen des von L. Marcius geschlossenen, von Catulus und Lepidus 676/8 erneuerten foedus Gaditanum das Bürgerrecht rechtlich nicht habe verliehen werden können, in der Tat sophistisch war."

[4]) pro B. XXVII, 61: Neque esse — moderari.

[5]) pro B. XXVI, 58—59.

[6]) pro B. I, 2; II, 5; IV, 8—VII, 17; XXVI, 59.

[7]) pro B. I, 3; VII, 17; XXII, 50.

[8]) pro B. XIX, 43; XXVII; XXVIII, 63—64.

cum viro docto faciam, qui contendit orationem Balbianam ante iudices iuratos esse habitam. Cf. praecipue p. 243. „Aber wenn nicht Geschworene urteilten, mußte der städtische oder der Fremdenprätor entscheiden. Dieser hatte seinen Beirat, die ebenfalls Richter genannt wurden. Indessen sie hatten eine beratende, nicht entscheidende Stimme, und der Prätor allein war für das Urteil verantwortlich. Folglich mußte der Redner diesen allein anreden.“ Huiuscemodi autem nullam habemus allocutionem, nemo appellatur nisi iudices; quae cum ita sint, hos iudices non possumus appellare nisi iudices iuratos (cf. Gasquy p. 8 med). Praetor per se, sicut in aliis causis, de Balbo non iudicabat, etsi toti causae praeerat; qualis fuerit, nescimus; „sicherlich einer von denen, welche über gemeine Verbrechen urteilen (Zumpt)“. Recte Gasquyus monet iudicum numerum minime constare putatque — mea quidem sententia recte — causam apud quaesitorem i. e. quaestionis praesidem[1]) esse peroratam.

Videas interim, ut ea, quae oratio contineat, facilius cognoscas, quae Drumannus de eis dixerit (II², 516³—517¹² c. adnn.); de dispositione vero in oratione componenda adhibita velim conferas Hocheium (pgg. 10—16); de tota causa Zumptium (pgg. 270—274).

Ex eis, quae postea Balbo contigerunt, satis apparet eum esse absolutum.

Quae cum peracta esset, M. Tullius cum Balbo vera amicitia in perpetuum coniunctus esse videbatur; tamen uterque etiam diversa sequebatur, ille, ut se contra dolosa illa consilia, fallacias, insidias protegeret, quae quin clam a Clodio sibi pararentur non dubitabat; hic, ut Ciceronem, ne vehementissimis verbis triumviris obtrectaret neve diceret se dolere, quod res publica talibus in rebus implicata esset, impediret. Saepe, etiam anno 54 ineunte,

---

[1]) Cf. Jullienum p. 64 adn. 2; Forcellini lex. Tot. Lat. V, p. 16, s. v. quaesitor 2: Praecipue est iudex, qui iudicio publico seu capitali quaestioni cum aliis iudicibus praeest, qui cum quaestionem habeat; .... sedet pro tribunali .... — Discimus quaesitorem dici etiam praetorem, cum cuicunque iudicio exercendo praeest: proprie autem eum, qui praeest quaestionibus criminalibus sive praetor est sive non est. — Cf. Ascon. ad Verr. II, 10: .... nam proprie quaesitores dicuntur criminalium quaestionum; et Verg. Aen. VI, 432: Quaesitor Minos urnam movet: ille silentum Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.

alter alterum visitabat, una mittebant epistulas Caesari[1]), qui, cum tunc rebus vehementer esset occupatus Gallicis, L. Cornelio omnia sua Romae tractanda iterum tradiderat, qui maxime laborabat, ut illi semper novos compararet amicos, partim fortasse permagnis creditis (in Cicerone pro certo haberi potest). Inde ortae sunt illae pecuniarum angustiae supra a me commemoratae, quibus Cicero postea irretiebatur. Cum Balbus ipse postea in Galliam proficisceretur, ubi Qu. Cicero legatus erat, neglecta magna terrarum distantia mira quaedam litterarum assiduitas inter eos orta est.

Tum etiam a C. Trebatio Testa Ciceroni occasio data est epistularum imperatori Balboque mittendarum, quibus ille multis verbis se cum Balbo tum Caesari ipsi semper deditum fore promisit atque affirmavit[2]). Quae quam non ex animi sententia profluxerint, ex eis apparet, quae Attico exeunte mense octobri scripsit[3]), cum valde se non iam rei publicae praeesse indignaretur.

Hieme ineunte Balbum „bene comitatum" (ad Qu. fr. III, 1, 12 — sept. 54) reversurum apudque se usque ad Idus Maias esse mansurum sperabat[4]). Nec brevius ille Romae moratus esse

---

[1]) ad Qu. fr. II, 10, 4 (d. 13. febr. 54): Sed ille scripsit — ad Caesaren eodem exemplo litteras; ad fam. VII, 5, 2 (ca. apr. 54): Sustulimus manus et ego et Balbus.

[2]) ad fam. VII, 5, 2 (apr. 54): Cum de hoc — domi meae; 6, 1 (mai. 54): In omnibus meis epistulis — meae erga te benevolentiae; 7, 1 (mai 54): Spem maximam — saepissime scribo; 8, 2 (aug. 54): Nam Cornelio — agere debere; ad Qu. fr. III, 1, 9: Balbum vero — in oculis fero (sept. 54); ad fam. VII, 9, 1 (oct. 54): Cupio scire — tamen scripsi; 16, 3 (nov. exeunte 54): .... tantum moneo — usquam reperturum.

[3]) ad Att. IV, 18, 2 (apr .ex. 54): Amisimus, mi Pomponi, omnem non modo sucum et sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinae civitatis; nulla est res publica, quae me delectet, in qua acquiescam.

[4]) Liceat mihi hoc loco commemorare Groeberum (Geschichte Roms II², 517, 26) illic, sicut traditum est in epistulis ad fam. VII, 16, 3, legendum esse „bene nummatum" putare. Etsi hoc per se bonum sensum praebet — Balbus, cum Caesari permulta praestitisset officia, ingentes sibi comparavit divitias — tamen lectio tradita „bene comitatum" retinenda est: sine dubio ille, qua cum imperatore coniunctus erat amicitia quaque valebat auctoritate, magno et splendido comitatu ornatus e provincia revertit, praesertim cum ipsum dictionis genus etiam aliis nonnullis confirmetur testimoniis: ad Att. IX, 2: ..... ita si et Gnaeus bene comitatus conscendisset; in Cat. II, 2, 4: .... quod ex urbe parum comitatus exierit. Quint. J. O. XII, 8, 3: .... bene sudantes beneque comitati per forum reducutur. Cf. Thes. Ling. Lat. III, 1815, 1 sqq.

videtur, nam mense Aprili anni 53 eum brevi post profecturum esse ad Trebatium Cicero scripsit (ad fam. VII, 18, 3 — d. 8 apr. 53)[1]).

Liceat mihi obiter hoc loco quaerere, utrum Balbus tum fuerit aut senator aut omnino aliquo munere publico functus sit necne. L. Cornelium quaestorem fuisse nusquam legimus neque senatorem. Neque illa Caeli epistula (ad fam. VIII, 11, 2 — iun. 50) resistere mihi videtur, etsi concedendum est Caelium de concessu quodam senatus referre; tamen ego putem illum huic concessui non ut senatorem interfuisse, sed potius ut interpretem Caesaris, cuius „operam atque sedulitatem“, qua Curioni Caesari obtrectanti restitit, valde laudat Caelius. Quaeritur nunc, num senatus concessus fuerint publici licueritne eis quoque, qui non amplissimo intererant ordini, adesse sessionibus. De hac re Mommsenus (Röm. Staatsr. III², 931/2) certiores nos facit. Templi Concordiae fores aperiebantur, cum senatores convenirent; „wer auf dem Vorplatz stand oder saß, konnte bis zu einem gewissen Grade den Verhandlungen folgen“ (Mommsen 931 adn. 2). Non omnibus licuit senatus interesse consessui; privilegium erat reservatum cum nepotibus filiisque senatorum (Valerius Max. 2, 1, 9)[2]), tum tribunis plebis (Val. Max. II, 2, 7. Zonar. 7, 15. — Cf. St.-R. II, 294), cum ipsam curiam intrare non possent; „während es nur in ganz außerordentlichen Fällen Nichtmitgliedern gestattet war in der Curie unter den Senatoren Platz zu nehmen“ (Mommsen p. 932). Cuius rei Zonaras 9, 27 praebet exemplum): Καὶ αὐτός [sc. Σκηπίων] τε ἐπῃνεῖτο καὶ ὁ Φαμέας τετίμητο ὥστε καὶ ἐν τῷ βουλευτηρίῳ συγκαθῆσθαι τῇ γερουσίᾳ. Qui Phameas erat nobilis homo Carthaginiensis, qui ultimo bello Punico ad Romanorum partes transgressus erat. Quis est, quin dubitet Balbo, qui honestissimo loco natus erat in urbe vetere amicitia cum populo Romano coniunctissima, qui omnia Caesaris tum administrabat honoribusque ab eo afficiebatur quam maximis, qui iam viginti fere annos Romanorum partes sequebatur, eundem honorem esse concessum, praesertim cum a Roma abesset Caesar, cuius negotia ille gerebat? Balbus igitur senatorem consessui interesse potuit, etiamsi nondum erat senator, ne anno 49 quidem, id quod intellegi potest ex

---

[1]) Ego te Balbo, cum ad vos proficiscatur, more Romano commendabo.

[2]) Cf. etiam: Liv. II, 48, 10; XXII, 59, 16. Cic. Cat. IV, 2, 3 de Cn. Pisone Frugi, qui tum nondum erat quaestor.

ipsis Ciceronis verbis indignationis plenis (ad Att. X, 11, 4 — d. 4 mai. 49): etiamne Balbus in senatum venire cogitet?[1]) Vir doctissimus O. E. Schmidt in libri sui, qui inscribitur „Der Briefwechsel des M. Tullius Cicero", p. 177, cum ea ex irrisione quadam orta esse putet irata, eum senatorem fuisse censet. Atque ea, quae vir doctus proposuit „etiamne (minor) Balbus in senatum venire cogitat", refellenda sunt; nam Balbus ille minor tunc magis erat iuvenis, quam ut Caesar in animo haberet eum senatorem facere (cf. Groagium R. E. IV, 1269, [29-33]).

Romae tunc clandestinum bellum omnium saeviebat contra omnes. Pompeius omnes Caesaris adversarios ab hominibus sibi deditis, imprimis a Metello Scipione socero suo, impellendos faciebat, ut illum e provincia revocarent, qua re omnium, quorum tum florebat auctoritas, tantopere perturbabantur animi, ut Balbo quantopere poterat opera danda esset, ut sedaret tumultum videreturque ipse neutris partibus addictus internuntiusque probus et integer. Cuius quantopere etiam tum floruerit auctoritas, vel ex his tribus rebus intellegitur,una quod querebatur Scipionem senatui proximi anni Kal. Martiis de nulla re nisi de Gallia utraque consulendum esse tulisse[2]), altera quod anno 50 nobilibus, ut M. Tullio supplicationem concederent, persuadebat, tertia quod Curionem tribunum plebis impellebat, ne diutius illi rogationi, quam modo commemoravimus, repugnaret[3]). Eodem tempore Balbum Ciceroni in rebus pecuniariis adfuisse, qui angustiis oppressus ab illo mutuam sumpsit pecuniam, concludi posse videtur; nam M. Tullius verebatur, ne quando in senatu Balbus hanc a se repeteret pecuniam, qui locus[4]) iterum pro argumento haberi potest Balbum quamquam non senatorem tamen curiae interfuisse; fortasse prope a porta sedebat ita, ut exeuntem Ciceronem statim posset alloqui.

Una cum Caesare Balbus Ciceronem maximis adibat blanditiis, eo magis, quo citius ea tempora appropinquabant, quibus omnes res in discrimine futuras esse putabant[5]); nullo autem modo Cicero, qui tunc Roma aberat, commoveri potuit, ut eo reverteretur.

[1]) In editione Purseriana adnotatum est (IV, 190) „in senatum venire" is „to become a senator".

[2]) ad fam. VIII, 9, 5 (die 29. aug. 51): .... ipse tamen — referretur. Contristavit haec — questum esse cum Scipione.

[3]) ad fam. VIII, 11, 2: Balbi quoque — adduxit.

[4]) ad Att. VII, 3, 11 (iun. 50): Puto — iube sodes nummos curari.

[5]) v. s. ille mihi litteras — idem pro eo Balbus.

Quarto decembris die A. Hirtius cum mandatis a Caesare ad Balbum venit[1]), qui cum esset Caesaris consiliorum Romae interpres, cum Scipione, qui Pompei sequebatur partes, erat collocuturus, quod consilium iam antea ceperat; Hirtius autem Pompeio non visitato proxima nocte rursus est profectus. Eis autem temporibus, cum per totam Italiam bellum civile saeviret omniumque perturbarentur rei publicae metu ac timore animi, Balbus, qui semper Romae morabatur, et honestissime in publicum et prudentissime in Caesaris ipsiusque privatis consiliis se gessit, cum a Caesare peteret atque perficeret, ne deberet, cum utriusque exercitus ducibus esset obligatus, contra illos amicos prioribus temporibus sibi comparatos arma ferre utque liceret sibi urbana utrique praestare officia[2]). Quorum amicorum in numero erat, id quod iam intellegitur ex illius epistulae infra citatae verbis, etiam L. Cornelius Lentulus Crus[3]), quocum Pompei in castris morato Balbus minor saepius Caesaris iussu colloquebatur audacissime hostium ingressus castra. Qui Lentulus quod Romam reliquisset, valde dolebat Balbus[4]). Idem cum Cicerone saepissime communicabat epistulas, quem ipsum quoque ad Caesaris res totum in animo habebat pertrahere. Studiosissime illi persuadebat, et id tantopere, ut Cicero, qui, etsi L. Cornelius Caesarem pacis esse amantissimum semper conclamabat, se a Balbo deceptum iri putabat, Attico se illi diffidere confiteretur[5]).

Sed nequaquam Balbus, qui tunc quoque Ciceronis rebus moderabatur pecuniariis, eum sibi adiungere potuit totum. Qui omnibus adhortationibus neglectis in Campaniam profecturus erat, ut Pompeio novos compararet amicos. Et L. Cornelius quamvis sedulo daret operam, ut omnium eorum, qui Caesaris

---

[1]) ad Att. VII, 4, 2 (a. 50): .... venisse Hirtium a Caesare, — eum profectum esse ad Caesarem.

[2]) ad Att. IX, 76, 2 mihi ipse concessit — pietatem iis praesto (d. 6 mart. 49).

[3]) Paulus Manutius in arg. or. Balb. cf. R. E. IV, 1381, No. 218.

[4]) ad Att. VIII, 15 A, 2 (febr. ex. 49): Quod Lentulum meum voluisti hic remanere — me satis vixisse puto.

[5]) ad Att. VIII, 9, 4 (d. 25. febr. 49): Balbi quidem maior — tu, puto, hoc credis; 15, 3 (d. 3. mart. 49): Balbi Corneli litterarum exemplum — quum me derideri videres; IX, 5, 3 (d. 10. mart. 49): Sed ea iam mihi exciderunt: beneficia — nihil actum ab initio, nisi ut hunc occideret.

Cf. ad Att. IX, 76, 2 (d. 6. mart. 49); 7a (fere d. 3. mart. 49); 7c (d. 1. mart. 49).

gloriae invidebant, quorum Cicero omnino erat nobilissimus, sedaret animos, tamen minime perfecit, ut ille Romam veniret (ad Att. VIII, 2, 1. d. 17 febr. 49).

Interea Caesar Balbo Oppioque, qui eius tum erant amicissimi, magnificam pacis quasi proclamationem tradidit (ad Att. IX, 7 c — v. s.), qua suum in primis esse declaravit hostibus parcere atque omnibus offerre, ut cum Caesarianis se coniungerent. Qua de re celerrime Balbus et Oppius Ciceronem fecerunt certiorem epistulaque una scripta (ad Att. IX, 7 a — v. s.) orarunt atque obsecrarunt, ut neutris se adiungeret partibus, praesertim cum nihil aliud spectaret nisi ut pax restitueretur Caesar, cuius epistulam quandam paulo post Ciceroni misit L. Cornelius addiditque se ei omnium maxime esse deditum (ad Att. IX, 7 b), quibus verbis etiam perfecit, ne ille, quamvis admonitus a Pompeio, statim eius se devoveret consiliis[1]). A. d. IX. Kal. Apr. Balbus ad Ciceronem scripsit Caesarem Pompeio denuo misisse internuntios seque, cum res ita se haberent, maerore affici nullaque re nisi pacis restituendae spe sustentari professus est[2]). Quam epistulam Cicero Attico missam irrisione quadam quasi verberavit[3]); quod optimo iure factum esse pacisque spem vanam fuisse ex eo apparet, quod proximo die ad amicum scripsit Pompeium in Graeciam esse transgressum, qua re ille effecit, ne fieri posset omnino, ut dissensiones componerentur[4]). De Balbo autem internuntio, quamquam eius nomen non attulit, cum contemptu iam locutus est Cicero[5]).

Proximis annis Balbus et Oppius Romae paene regio fungebantur munere mandatu Caesaris[6]), qui, quaecunque illi facienda

---

[1]) ad Att. VIII, 6, 2 (d. 23. febr. 49): Litterae mihi a L. Domitio-satis esse relinquas.

[2]) ad Att. IX, 13a, 2 (d. 20. mart. 49): Quomodo me nunc putas, mi Cicero, torqueri — nunc exspectatione crucior.

[3]) ad Att. IX, 13, 8 (d. 24. mart. 49): Omnia misera, sed hoc nihil miserius — habeo multam.

[4]) ad Att. IX, 14, 2 (d. 25. mart. 49): Ubi est illa pax — Gnaeum profectum puto.

[5]) ad Att. X, 1, 2 (d. 3. apr. 49): iam enim illum emptum pacificatorem perorasse puto. Cf. O. E. Schmidt p. 165 sqq.

[6]) Tac. ann. XII, 60: .... C. Oppius et L. Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere condiciones pacis et arbitria belli tractare.....
ad Att. XII, 12, 1 (d. 16. mart. 45): .... tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum. Hoc videris dicere, cum reges tam sint

curaverant, probabat, quippe qui eos nihil in animo habere sciret nisi ut Caesaris potestatem augerent. Summa eorum potestas omnium ante oculos effulgebat, qua re fiebat, ut quicunque aliquid erat perfecturus, sive precibus sive blanditiis adiret eos, quibus Caesar, quaecunque alios celari volebat, per epistulas secretas significare quid vellet fieri solebat. Hoc traditum est a Gellio. (N. A. XVII, 9, 1): Libri sunt epistularum C. Caesaris ad C. C. Oppium et Balbum Cornelium, qui rebus eius absentis curabant. In his epistulis quibusdam in locis inveniuntur litterae sine coagmentis syllabarum, quas tu putes positas incondite; nam verba ex his litteris confici nulla possunt. Idem refertur a Cassio Dione (XL, 9, 3): *εἰώθει δὲ καὶ ἄλλως, ὁπότε τι δι' ἀπορρήτων τινὶ ἐπέστελλε, τὸ τέταρτον ἀεὶ στοιχεῖον ἀντὶ τοῦ καθήκοντος ἀντεγγράφειν, ὅπως ἂν ἄγνωστα τοῖς πολλοῖς ᾖ τὰ γραφόμενα.*

Ut inter Balbum atque Oppium Caesaremque et se internuntius exstaret, Atticum orabat Cicero[1]), qui, quantopere ut sibi faverent, optaret, saepe dicebat[2]). Quibus rebus consecutus est, ut Caesar eum nondum reversum obsecraret, ut Romam veniret, ut eius sapientia suis prodesset consiliis[3]), quam epistulam Balbus nonnullis verbis quasi adiuvit[4]).

Cicero, ut quae futura putabat exspectaret, Melitam proficisci volebat, quod ne faceret nulla re retentus est nisi Balbi iteratis epistulis, quibus orabatur, ut Romae pacem constituendam curaret, praesertim cum Caesar pacis esset amantissimus[5]). Et erat M. Tullius, quamvis Pompeio etiam tum esset addictus,

---

continentes, multo magis consulares esse oportere. Cf. ad fam. VI, 8, 1 (dec. 46); IX, 6, 1 (iun. 46).

ad fam. IX, 19, 1 (aug. 46): .... Balbi regia condicio est delegandi.

[1]) ad Att. XI, 6, 3 (d. 27. febr. 48): Te nunc — rem ausissem.

[2]) V. supra: ad fam. VI, 8, 1; IX, 6, 1.

[3]) ad Att. IX, 6 A (fere d. 7. mart. 49): .... imprimis a te peto — uti possim.

[4]) ad Att. IX, 6, 1 (d. 11. mart. 49): Roma scripsit Balbus — eum ad urbem futurum.

[5]) V. s. ad Att. IX, 7a; 7b, 1—2; 7c; 13a; X, 14, 1; IX, 16, 3 (d. 26. mart. 49): Tu velim mihi ad urbem praesto sis — in omnibus rebus utar; 18, 2 (d. 29. mart. 49): Ex Balbi autem sermone — de altero me purgavi.

O. E. Schmidt p. 165.

Hoc loco moneam anno 49 Gaditanis a Caesare civitatem datam esse Romanam.

tamen cum Balbo commercio epistulari coniunctus maximo, cum tamen consilia sua non detegeret eumque ut in senatorium reciperetur ordinem optare valde indignaretur.

Saepius proximis in rebus ea mihi erunt commemoranda, quae Ciceroni acciderunt, nam sicut iam antea, ita nunc quoque maxime eius ex epistulis apparet, quae illis temporibus Romae facta sint quemque ad modum Balbus omnibus illis rebus fuerit implicatus.

Rebus in Thessalia peractis anno 48 Cicero Brundisium profectus Caesarem erat exspectaturus, ut se ei purgaret, quippe qui eo invito castra hostium ingressus revertisset. Dictatoris Attico Balbo Oppio internuntiis ut sedaret animum, operam dabat quam maxime[1]); ac valde laetatus est, cum illi responderent Caesari lictores, quos etiam tum, quippe qui esset imperator, secum habebat, non futuros esse offensioni[2]).

Non multo post Balbum orabat atque obsecrabat, ut sibi litteras mitteret. Quia autem illum in epistulis in dies magis magisque languidiorem ac frigidiorem praebere putabat animum, magnopere, cum timeret, ne Caesari iniquissimi de se missi essent nuntii vel ab eo ad Balbum, diu nullo responso misso de ea re conquerebatur[3]), quamvis, id quod postea intellegebat, res minime ita sese haberet.

Bellis Pontico Alexandrinoque diu continuatis ductisque tandem nimis vexatus hoc silentio nulloque solatio levatus Balbum precibus adibat et Oppium et Antonium, qui tum Caesaris

---

Cf. Liv. per. 110: Gaditanis civitatem dedit.

Dio Cass. XLI, 24, 1: .... ἐτίμησέ τε καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ πολλοὺς καὶ τοῖς γε Γαδειρεῦσι πολιτείαν ἅπασιν ἔδωκεν, ἣν καὶ ὁ δῆμος σφίσι ὕστερον ἐπεκύρωσε.

Mommsen, R. G. III, 539: „Dagegen erhielt die alte und reiche Kaufstadt Gades, deren Munizipalwesen Caesar schon als Praetor zeitgemäß umgestaltet hatte, jetzt von dem imperator das volle Recht der italienischen Municipien (705/49) und wurde, was in Italien Tusculum gewesen war, die erste außeritalienische nicht von Rom gegründete Gemeinde, die in den römischen Bürgerverband eintrat.“

[1]) ad Att. XI, 6, 3 (d. 27. nov. 48): .... Vide, quaeso, igitur ea — de sua sententia fecisse; 7, 5 (d. 17. dec. 48): Multos esse arbitror — diligentiam adhibebis; 8, 1 (d. 25. dec. 48): per eos, qui — praesentibus quibusdam.

[2]) ad Att. XI, 6, 2 (v. s.): Propius accedere — possum.

[3]) ad Att. XI, 9, 1 (d. 3. jan. 47): quotidie iam Balbi — fortasse contra me; 14, 2 (apr. sive mai. 47): De me autem non dubito — consuli et prospici poterit.

fungebantur rebus[1]), neque tamen quicquam certi ut responderent fieri poterat ante Caesaris reditum. Quamquam illi mitiores fratre Quinto in eum se praestabant, cuius epistulas[2]), quibus eum anno praecedente apud Caesarem accusaverat, Balbus M. Tullio tradendos curavit. Neque spes illum fefellit, cum Caesar reversus ei daret veniam. Quod non solum benignitatis erat, sed Cicero erat, ut ita dicam, etiam tunc in scena publica illius tragoediae ea persona, cuius rationem quin haberet Caesar facere non poterat. Quod M. Tullium secum reconciliavit, ita explicandum est, ut demonstrare vellet, qualia essent sua consilia. Quod ut efficeret, illum antea cunctatione sua mitem faciebat et mansuetum.

Quibus factis L. Cornelius Balbus — revertar iam ad eum —, quippe qui a Caesare summis affectus esset beneficiis, rem suam familiarem lautissime excolebat aedificabatque magnifice, qua re Ciceronem provocabat ad iram[3]), qui magnopere indignabatur homines multo humiliores tamquam reges se gerere, quasi admissos et in sacra receptos[4]). Tamen omni ira postposita non dedignabatur eorum uti officiis, cum aliquid gravius ageretur ventumque esset in discrimen, quod ut exemplum proferam factum est, cum eos oraret, ut Caesarem impellerent, ne diutius quattuor illos Pompeianos in exsilium missos quominus in patriam reverterentur retineret[5]).

Et Balbus quidem et Oppius neque in Africam una cum Caesare profecti sunt nec anno 45 in Hispania pugnaverunt, quia Romae satis magna negotia habebant, ut eius res administrarent nummarias, in quibus non minima erat ea, quae in actione illa

---

[1]) Cf. ad Att. XI, 18 (d. 19. iun. 47).

[2]) Cf. ad Att. XI, 8, 2 (v. s.): Quintus misit filium non solum deprecatorem — mittat aliquem Balbus ....; 22,1 (ex. aug. 47): Diligenter mihi fasciculum — redditas.

[3]) ad Att. XII, 2, 2 (iu. apr. 46): At Balbus aedificat; τί γὰρ αὐτῷ μέλει;

[4]) ad Att. IX, 7a, 1 (v. s.): Hominum humilium, ut nos sumus.

[5]) Cf. ad fam. IX, 17, 1 (aug. 46): Non tu homo — non ex isto soleam scire.

ad fam. IV, 13, 5 (aug. vel sept. 46): Videor mihi perspicere — mirabiliter de te et locuntur et sentiunt; § 6: nam et complector — perveniri posse; VI, 12, 2 (sept. 46): Omnia promissa confirmata — non destiti; 14, 3 (d. 26. nov. 46): Ego tamen tuis — supplicabo; 8, 1 (dec. 46): .... egi vehementer — uti liceret. — Erant P. Nigidius Figulus, T. Ampius Balbus, Qu. Ligarius, A. Caecina.

de Cluvi hereditate ad praetorem delata agebatur, in qua uterque, cum Caesar, tum Cicero, habebat partem[1]). Cum Caesare, bello Hispaniensi confecto cum ille revertisset, rationes habere pergebat Balbus[2]).

Cicero tamen illorum, quamquam ab eis multis affectus erat beneficiis, valde se offendi confessus est vel ipso adspectu. Qua de causa rus secessit quietis praeterea desiderio commotus librisque in conscribendis operam navavit[3]), qua tamen e re non maximam cepit voluplatem, quia etiam Balbo cum Tusculi tum Lanuvi erant multa latifundia, agri, villae, in quibus ille quoque tum morabatur[4]), et quidem maximis podagrae doloribus vexatus[5]). Quibus posthabitis Ciceronem de omnibus illis rebus, quae maioris momenti erant, in bello gestis faciebat certiorem[6]) atque in aliis quoque, quas M. Tullio curae esse sciebat, multa ei praestabat officia[7]); frequentabantur admodum per illa tempora mutuae illorum epistulae[8]). Quo factum est, ut inter illos, etsi non sincerae, tamen firmae evaderet amicitiae species[9]).

---

[1]) ad Attic. VII, 37, 4 (d. 2. aug. 45): Velim, si tibi videtur, appelles Balbum — posse diem differi; 45, 2; 3 (d. 11. aug. 45): Prorsus ex his litteris — Lamia dicebat. — Lamia quidem a Balbo — fieri oportere; 46, 2; 3 (d. 12. aug. 45): Balbum conveni — ne per meos quidem.

[2]) ad Att. XIII, 52, 1 (d. 9. dec. 45): Ille tertiis Saturnalibus — rationes opinor cum Balbo.

[3]) ad Att. XIII, 39 (d. 5. aug. 45): Romam, ut censes, veniam, — in scribendo haereo. Cf. ad fam. IV, 10, 2 (ian. 45).

[4]) ad Att. XIII, 50, 1 (d. 22. aug. 45): cum mihi — dixisset. Cf. 37, 4 (d. 2. aug. 45).

[5]) ad fam. VI, 19, 2 (fere d. 27. iul. 45) de curatione — non vidi. Tantis pedum doloribus adficitur, ut se conveniri nolit; ad Att. XIII, 47b, 1 (d. 30. iul. 45) dixisset — quoniam Balbus est aeger.

[6]) ad Att. XIII, 44, 3 (d. 20. vel. 21. iul. 45) — qua de re litterarum — Oppius et Balbus miserant; 50, 3 (v. s.) De adventu Caesaris — ab Oppio et Balbo.

[7]) e. g. ad Att. XII, 47, 1 (d. 16. mai. 45): Eo magis delabor — nec audere re incerta.

[8]) ad Att. XII, 19, 2 (d. 14. mart. 45).: De Antonio Balbus quoque ad me cum Oppio conscripsit, idque tibi placuisse, ne perturbarer; illis egi gratias; XIII, 21, 6 (d. 30. iun. vel 1. iul. 45): De Caesaris adventu scripsit ad me Balbus non ante Kal. Sext.

[9]) ad Attic. XII, 13, 2 (d. 7. mart. 45): Quod scribis de Apuleio — in dies singulos; ad fam. VII, 24, 1 (fere d. 20. aug. 45): Olim, cum regnare — omnibus praeter istum.

Orationem Ligarianam litteris tum consignatam epistulamque ad Caesarem mittendam, quam quasi responsum ut refelleret illius Anticatonem conscripserat Cicero, Balbus atque Oppius sibi traditam ut perlegerent comprobarant, comprobatas in Hispaniam curarant mittendas[1]). Non multo post Balbus nonnullos Ciceronis libros Attici in officina fecit describendos[2]); cum vero M. Tullius ei libellum, qui ad rem publicam tractandam pertinebat, nonnullaque alia ut Caesari mitterentur proposuisset scrupulosque ac dubitationes movisset[3]), illum adhortabatur, ut consilium deponeret, qua de re Cicero paululum subiratus incensusque Atticum fecit certiorem[4]).

Balbum illis temporibus permultas res summi momenti tractare videmus, cum et Caesaris, Ciceronis, aliorum rebus fungeretur nummariis[5]) et rei publicae administrandae valde esset particeps. Qui quantopere summis negotiis interfuerit ac de eis rebus, quas dictator gerere habebat in animo, certior fuerit factus, vel inde intellegitur, quod Cicero eum mense Ianuario anni 45 orabat, ut sibi aliquid ex illa lege Iulia municipali nondum tum publicata explicaret[6]). Sed quamquam ille hominem semper

---

[1]) ad Att. XIII, 19, 2 (d. 29. iun. 45): Ligarianam, ut video, — tu mihi antea scripseras; 46, 2 (d. 12. aug. 45): Legi epistolam — se dicit copiosiorem factum —; 50, 1 (d. 22. aug. 45): admonitus quibusdam — epistolamque meam iusserunt dari Dolabellae.

[2]) ad Att. XIII, 21, 4 (v. s.): Scripsit enim Balbus — ne et ἀδιόρθωτα habeat Balbus ....; 22, 3 (d. 4. iul. 45): Balbo quidem intellegebam — dari.

[3]) ad Att. XII, 51, 2 (d. 20. mai. 45): Epistolam ad Caesarem mitti video tibi placere — repudiatione fuerit; XIII, 1, 3 (d. 23. mai. 45): exspecto, quid istis placeat de epistula ad Caesarem; 26, 2 (d. 14. mai. 45): Heri etiam — mittam tamen ad te exemplum.

[4]) ad Attic. III, 21, 1 (d. 25. mai. 45): De epistola ad Caesarem nobis vero semper rectissime placuit, ut isti ante legerent, — atque etiam vereor, ne putet me hoc quasi Catonis μείλιγμα esse voluisse; 28, 2 (d. 26. mai. 45): De epistola ad Caesarem, iurato mihi crede, non possum — abiit illud, quod tum me stimulabat, quum tibi dabam πρόβλημα Ἀρχιμήδειον 31, 3 (d. 28. mai. 45): De epistula ad Caesarem κέκρικα — meo consilio. — Obsecro abiciamus ista — et tacendo et latendo.

[5]) Cf. Iullienum p. 118 sqq. c. adnn. p. 135 extr. — 136 init.

[6]) ad fam. VI, 18, 1 (ian. 45): Simulatque accepi — decuriones esse non licere.

Lex Julia Municipalis [Dessau, Inscriptiones Latinae II, 496, adn. 85] „Neve quis que[i] praeconium dissignationem libitinamve faciet, in muni-

se praebebat privatum, tamen fieri non poterat quin multi homines eius gloriae et potestati inviderent. Qua ex invidia non dubito, quin illa odiosa profluxerit opinio eum mense Aprili anni 45 exeunte Caesarem impulisse, ut senatores, cum eum ut summis exornarent honoribus adirent, sedens acciperet, quae res saepius a veteribus scriptoribus traditur, quos locos, quia summi momenti esse mihi videntur, afferam singulos.

I. Livius per. 116: et cum .... plurimi maxumique honores a senatu decreti essent, inter quos, ut parens patriae appellaretur et sacrosanctus ac dictator in perpetuum esset, invidiae adversus eum causam praestitere, et quod senatui referenti hos honores, cum ante aedem Veneris Genetricis sederet, non adsurrexit .....

II. Suetonius Caes. 78: Adeuntis se cum plurismis honorificentissimisque decretis universos patres conscriptos sedens pro aede Veneris Genetricis excepit. quidam putant retentum a Cornelio Balbo, cum conaretur assurgere.

III. Plutarchus Caes. 60: προςιόντων δὲ τῶν ὑπάτων καὶ τῶν στρατηγῶν, ἅμα δὲ καὶ τῆς βουλῆς ἁπάσης ἑπομένης οὐχ ὑπεξαναστὰς ἀπεκρίνατο. Τὸ δὲ οὐκ εἶχεν οὕτως, ἀλλὰ καὶ πάνυ βουλόμενον αὐτὸν ἐξαναστῆναι τῇ βουλῇ λέγουσιν ὑπό του τῶν φίλων, μᾶλλον δὲ κολάκων, Κορνηλίου Βάλβου, κατασχεθῆναι φήσαντος. Οὐ μεμνήσῃ Καῖσαρ ὢν οὐδὲ ἀξιώσεις κρείττονα θεραπεύεσθαι σεαυτόν;

IV. Eutropius VI, 25: cum nec senatui ad se venienti adsurgeret ....

V. Cassius Dio XLIV, 8, 2: ἐπειδὴ γὰρ ἐν μιᾷ ποτε ἡμέρᾳ τά τε πλείω καὶ τά μείζω σφῶν ψηφισάμενοι προςῆλθον αὐτῷ ἐν τῷ τοῦ Ἀφροδισίου προνάῳ καθημένῳ, καθήμενός σφας, εἴτ' οὖν θεοβλαβείᾳ τινὶ εἴτε περιχαρείᾳ, προςεδέξατο.

VI. Appianus II, 107: Ὁ δὲ αὐτοὺς ἐδεξιοῦτο μέν, οὐχ ὑπανέστη δὲ προςιοῦσιν.

VII. Zonaras ann. X, 11: προςιόντων δέ ποτε τῶν ὑπάτων αὐτῷ καὶ τῶν στρατηγῶν καὶ τῆς βουλῆς ἁπάσης ἑπομένης, ὅτι μὴ ἐξανέστη καθήμενος, οὐ μόνον ἐλύπησε τὴν βουλὴν ἀλλὰ καὶ τὸν δῆμον.

---

cipio colonia praefectura II ir. IV vir. aliumve quem mag. petito neque capito neque gerito neque habeto neve ibei senator neve decurio neve conscriptus esto, neve sententiam dicito". Cf. Fontes iuris Romani antiqui ed. Bruns. 6. ed. Mommsen p. 109 extr.

Idem mea quidem sententia etiam Nonius Marcellus in animo habuit, cum scripsit haec: — idem ad Caesarem lib. III (10): amici nonnulli a te contemni ac despici et pro nihilo haberi senatum volunt[1]).

Quae tamen omnia nihil fuisse puto nisi invidiosam famam; nam etsi Caesarem adulabatur, tamen, praesertim cum tot illis temporibus eum persequerentur odio atque invidia homines, callidior erat, quam ut talem in se admitteret invidiam, et Caesar, quamvis multis in rebus amicorum suorum cederet consilio, homo sui erat potentior, quam ut in rebus tractandis tale quid eis concederet[2]). Accedit, quod de Balbo auctore — et hac ipsa de causa testes omnes producère volui — minime consentiunt veteres auctores.

Ex idibus martiis anni 44, quo die C. Iulius Caesar coniuratorum gladiis percussus ad statuam Pompei prostratus animam efflaverat, turbulentissima tempora eis quoque, qui fuerant illius amicissimi, periculosissima esse coeperant. Balbus Marco Antonio quidem consuli rerum potito, cuius de consiliis iam antea ad Ciceronem scripserat[3]), omnino se nolebat applicare, quamquam universa rerum omnium quasi fluctuatione valde cruciabatur. Cum hac in re consentiret cum Hirtio, quocum illos per annos maxime erat coniunctus[4]), mihi non certum, ne verisimile quidem esse videtur eum in illa contione, qua a. d. XVII. Kal. Apr., quibus poenis ei qui Caesarem obtruncaverant essent afficiendi, Caesariani deliberabant, cum contrariam haberet sententiam atque Hirtius, qui una cum Antonio ut pax restitueretur optabat, suffragium tulisse de pugna contra illos suscipienda, ut mors eius vindicaretur et ei, qui cum Caesare coniuncti fuerant, tuti redderentur; quod ita — contra ac statuit Muenzerus (R. E. IV, 1266^{64}—1267^{4}), cui ego me adiungo — factum esse putat Eduardus Schwartz (Hermes 33, 1898, 184). Cui apud Nicolaum Damascenum (Exc.

---

[1]) „De compendiosa doctrina“ (ed. Lindsay 1903 in aed. Teubn.) lib. V. „De differentia similium significationum.“ p. 702, 28—30 L. — Cf. Iullienum p. 128 extr.

[2]) Drumann-Groebe G. R. II^2, 521, 21—25.

[3]) ad Att. XII, 19, 2 (d. 14. mart. 45): De Antonio Balbus — perturbatum iri.

[4]) ad Att. XIV, 20, 4 (d. 11. mai. 44): Quod Hirtum per me — sed vivit habitatque cum Balbo, qui item bene loquitur.; 21, 2 (d. 11. mai. 44): Ad me autem — nihil sinceri.

Const. Porph. ed. Büttner-Woobst III, p. 50, 6 sqq), ubi hoc traditum est (ἄλλος δὲ τὴν ἐναντίαν εἶπε τῶι Λεπίδωι προςθέμενος), legendum esse versimile est „Βάλβος“ pro „ἄλλος“, cum addit haec: „Im Consilium der Caesarianer sprechen Hirtius und Antonius für den Frieden, diesem [sc. dem Lepidus] schließt sich ein vierter an, dessen Name verdorben ist. Es liegt am nächsten, an Balbus zu denken“. Per se viri doctissimi sententia est vere splendida, cum antecedant duo nomina. Scimus etiam illos excerptores neglegentissimos saepe se praebuisse. Quae cum ita sint, non ab omni verisimilitudine abesse puto apud Nicolaum, non in excerptis, mutandam esse lectionem. Tamen de ipso nomine non cum Schwartzio faciam; nam Balbus, qui semper medium inter partes tenuerat, cautior erat atque prudentior, quam ut ex professo cuiusquam tum se adiungeret partibus, desiderioque insuper pacis atque quietis, sicut iam supra dixi, magis incensus erat, quam ut contra eum, quem eodem commotum esse sciebat desiderio, palam loqueretur, idque illis temporibus, quibus coniurati ipsi, quid faciendum esset, nesciebant atque omnibus rebus, quibus ad consilia bene peragenda opus erat, egebant Octavianusque, quem a Caesare adoptatum summam in re publica armis petiturum esse potestatem putabant, Apollonia erat reversurus[1]). Crediderim potius Balbum, qua erat calliditate, tum tacuisse, praesertim cum, quia Hirtius sciebat, quae esset eius opinio, ei opus non esset illam detegere. Accedit, quod illud „ἄλλος“ ita quoque intellegi potest, ut sit quasi ἄλλος τις — nam sine dubio multi, etiam homines minoris momenti quam illi duces, intererant illo Caesarianorum consilio. Quod si ita se habet, fortasse ne Nicolaus quidem ipse aliter scripsit atque exstat scriptum in excerptis.

Balbus brevi post in Campaniam est profectus, quo itinere eum nihil aliud in animo habuisse nisi cum Hirtio Baias ire omnes putabant[2]); paululum Puteolis moratus, ubi saepe cum Cicerone convenit[3]), Octavianum, quem quidem sui Caesarem salutabant (ad Att. XIV, 12, 2), Neapoli salutavit, quo ille die antecedente venerat.

---

[1]) ad Att. XIV, 21, 3 (v. s.): Mihi autem — regni heredem relictum?

[2]) Cf. ad fam. XVI, 24, 2 (nov. med. 44): Et scito Balbum — utrumque ad aquas.

[3]) ad Att. XIV, 9, 3 (d. 18. apr. 44): Et Balbus hic est multumque mecum e. q. s.

Hunc in locum fragmentum ex epistula quadam, in qua Cicero de Balbo scripsit, non dubito quin trahendum sit, quod legitur apud Nonium Marcellum.

> D i c a r e: Tradere. M. Tullius in epistola ad Caesarem lib. I (fr. 2): Balbum quanti faciam quamque ei me totum dicaverim ex ipso scies.

Quod ad idem tempus referre video Gurlittium[1]), a quo dissentit Muenzerus[2]), qui tamen quin falso id in annos 54/3 referat non dubito. Nam cum Caesar non ignoraret, quanta Cicero Balbo deberet, praesertim cum et ipse L. Cornelium optime nosset, quid illa epistula commendaticia opus erat? At contra luce clarius mihi esse videtur Ciceronem Caesaris filio amicum nonnullis verbis benevolentiae plenis commendasse; nam quamvis ille quomodo Cicero Caesarque pater mortuus huius usi essent auxilio non ignoraret, minime supervacaneam atque inutilem illam duco epistulam eis temporibus missam, quibus a plurimis sententias tamquam vestimenta mutatas esse inter omnes constat, ei iuveni, apud quem omnes diiudicationes summi momenti futuras esse plerique putabant, cui M. Tullium pergratum facere in animo habuisse puto. Ex eis igitur, quae attuli, satis apparere mihi videtur illam epistulam anno 44 a Cicerone esse conscriptam, licet cum Muenzero fere consenserint Tyrellius et Purser, qui haec adnotaverunt[3]): „Possibly the letter from Cicero to Caesar, which is found in Nonius 287, 25, may have been brought to Caesar by Balbus in one of these journeys".

Non multum praetermittebatur temporis, cum Octavianus una cum Balbo M. Tullium, — minime semper grati erant et accepti — saepe visitaret Puteolis atque Cumis, quo Hirtius quoque et Pansa venerant[4]).

Balbum filium Caesaris, cum Romam iter faceret, comitatum, quamvis M. Tullio saepius mitteret epistulas[5]), tamen

---

[1]) „Nonius Marcellus und die Cicerobriefe", Progr. Stegl. p. 6. Cf. Drumann-Groebe G. R. I^3, 427.

[2]) R. E. IV^1, 1263^{68}–1264^3.

[3]) IV, LXV, adn. 2. Cf. VI, 292/3.

[4]) ad Att. XIV, 11, 2 (d. 21. apr. 44): Hic mecum Balbus, Hirtius, Pansa. Modo venit Octavius — mihi totus deditus. Cf. ad fam. VII, 30, 1 (ian. 44): Ego vero — pervenire „ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audiam".

[5]) Cf. ad Att. XV, 4, 5 (d. 24. mai. 44): Summatim adhuc ad te, nihil dum a Balbo; 5, 2 (d. 27. vel 28. mai. 44): .... ita scribit et Balbus

ille nonnulla simulare sibi persuaserat neque aliud quicquam optare, nisi ut iterum bellum quoddam civile excitaretur eique, qui rem publicam liberassent, opprimerentur[1]). Nihilominus eum, qui tum acerbissimo cruciabatur morbo[2]), mense Julio, cum rebus quibusdam urgeretur pecuniariis, ut sibi auxilio esset, oravit[3]). Idem cum mense Novembri ab urbe abesset, ab eo alia de re accepit litteras[4]).

Pergebat autem L. Cornelius Balbus summam praestare fidem Octaviano, a quo maximis splendidisque, quippe qui semper fuisset iam Caesari deditus, exornabatur honoribus. Quamquam quemadmodum in singulis Caesaris heredem postea adiuverit, nos nescire aegre est ferendum. Illa autem officia, quae praestabat, minime exigua fuisse vel inde intellegi mihi videtur, quod, quamvis Caesare dictatore nullo functus esset magistratu, anno 40 consul est creatus.

---

et Hirtius — ne illum videam; 6, 4 (d. 28. vel 29 mai. 44): Obsignata iam — discessuros; 8, 1 (d. 31. mai. 44): Post suum discessum binas a Balbo — nihil novi ....; 9, 1 (d. 2. vel 3. iun. 44): Non. vesperi a Balbo redditae mihi litterae — decretum iri.

[1]) Cf. ad Att. XIV, 12, 2 (d. 22. apr. 44): Nobiscum hic — non est item.

[2]) ad fam. XVI, 23, 1 (fere d. 21. iun. 44): Balbus ad me scripsit tanta se ἐπιφορᾷ oppressum, ut loqui non possit.

ἐπιφορά per se est „impetus" cf. Polyb. VI, 55, 2 καὶ κατέσχε τὴν ἐπιφορὰν τῶν ἐχθρῶν. Saepius translate de rebus adhibetur: Polyb. IV, 41, 7 ἐπιφορὰ ὄμβρων — sed etiam de impetuosa et, ut videtur, invectiva oratione: Philostr. V. S. p. 504 (ed. Kayser I, 2) Δημοσθένης γὰρ μαθητὴς μὲν Ἰσαίου, ζηλωτὴς δὲ Ἰσοκράτους γενόμενος ὑπερεβάλετο αὐτὸν θυμῷ καὶ ἐπιφορᾷ. Praeterea pro κατηγορία Philostr. l. c. 542 διαμαρτάνουσι μέντοι τοῦ ἀνδρὸς φάσκοντες αὐτὸν τὰς μὲν ἐπιφορὰς ἄριστα σοφιστῶν μεταχειρίσασθαι, τὰς δὲ ἀπολογίας ἧττον. Hesychius profert ἐπιφοράς: καταδίκας.

Sed nihil horum convenit in Ciceronem; qui cum de morbo quodam dicat, medicos potius adeamus; ii hoc verbum adhibebant, cum de fluxione humoris in aliquam corporis partem dicebant. Cf. Plinius n. h. XXIX, 6, 38 cocleae tritae fronti inlitae epiphoras sedant. Si pars corporis non est addita, semper oculi morbo afficiuntur; contra cf. Plin. XXIX, 14, 58 ad omnes epiphoras ventris inlini caseum mollem suadent. Iam Cicero scribit Balbum tanta epiphora oppressum esse, ut loqui non posset. His verbis sole clarius apparet non in eius oculis fuisse illius vehementis morbi sedem (cf. Gasquy p. 14), sed in ore; videtur igitur fuisse ulcus quoddam in faucibus exortum, e quo sanguis vel sanies tantopere defluebat, ut loqui non posset.

[3]) ad Att. XVI, 3, 5 (d. 17. iul. 44): Maxime autem me angit ratio reliquorum meorum — si proficisceris in Epirum.

[4]) ad Att. XVI, 11, 8 (d. 5. nov. 44): De Lepidianis feriis Balbus ad me usque ad III. Kal.

Qua occasione moneo doctorum virorum inter se distare sententias disceptantium, utrum Balbus antea, triumviratus cum floreret, alium magistratum administraverit necne.

Quae res est difficillima ad iudicandum. Velleius quidem Paterculus, cuius verba sine dubio ad L. Cornelium Balbum minorem sunt referenda[1]), narrationis finem facit his verbis (II, 51, 3): ex privato consularis. Sine ulla causa Jullienus (p. 143) et Willemsius (Le sénat I, 607/8) putant Velleium per errorem maioris dignitatem minori attribuisse, quam opinionem optimo iure refellere studet Groagius (R. E. IV^{1}, 1270 ^{35}-^{37}).

Ceterum videndum est, num ex nummis huic quaestioni lucis aliquid affulgeat. Habemus quattuor nummos[2]), unum aureum, tres denarios, quorum in fronte videmus caput Octaviani ita circumscriptum „C. Caesar III VIR R P[C]" et in parte aversa clavam Herculis hunc circumscriptam in modum „BALBUS PRO PR".

Primum quaeramus, quando et ubi illi nummi cusi sint, deinde, utrum ille Balbus fuerit maior necne.

Habemus caput Octaviani — ergo post Caesaris mortem, i. e. post annum 44, ille nummus cusus est. Appellatur III vir R. P. C. Jam Bahrfeldt docet[3]) ita eum appellatum esse ante Kal. Jan. anni 37, cuius anni autumno triumviratus renovabatur, quae renovatio valebat inde a Kal. Jan.; post triumviratum renovatum appellatus est „III VIR.ITER.R.P.C." [Babelon II, 587, Julia 136—140]. Sed accuratius tempus definire possumus, si spectamus praeterea in nummo exstare ‚C. Caesar' omisso nomine gentili, quod deposuit anno 40[4]); ex adnotatione Mommseni (768[1]) discimus praenomen Gai non iam exstare in nummis nisi in eis, qui usque ad annum 40 cusi sunt; nam illo ex anno praenomen imperatoris accepit[5]). Ergo concludendum est annis 43 vel 42 vel 41 hunc nummum esse cusum; accuratius tempus definiri non potest.

---

[1]) Muenzer R. E. IV^{1}, 1267^{36}—1268^{3}; Drumann-Groebe G. R. II^{2}, 522, 16—23 c. adnn.; Iullien p. 140 sqq.

[2]) Cf. Mommsenum R. G. V, 631 adn. A Catalogue of the Roman coins in the British Museum II, 406. III. Plate CIV, Nr. 15. Babelon I, 429. II, 45. Cohen I^{2}, 121. Eckhel V, 180. Cf. Mommsen, Zeitschr. für Numism. XI, 1884, 75. Münzwesen 659.

[3]) „Die Münzen der Flottenpräfekten des M. Antonius", Numism. Zeitschr. 37 (1905), 30.

[4]) Mommsen St. R. II, 2^{3} 766, 768.

[5]) Fast. Capit. C. J. L. I^{2}, p. 28; XXIX b. ad an. 717—37.

Altera oritur quaestio, qua quaerimus, ubi nummi sint cusi. Per se dicendum est viros monetales saepius quodvis signum nummis insculpsisse recteque Jullienus (p. 141) adnotat et Romae et in provincia nummos esse cusos; eos, quibus „PRO PR“ insculptum est, in provinciis cusos esse docet Ganterus[1]); ergo illi nummi, qui nobis praesto sunt, in officina propraetoris cuiusdam facti sunt et id in Hispania; atque vir doctus Mowat, cuius mentionem facit Jullienus (p. 141), „in Hispania eum signatum esse affirmavit“ (cf. 141 adn. 3).

Dictum autem est iam supra in parte aversa esse clavam Herculis; hac in re faciam cum Groagio, qui id spectare docet ad cultum Herculis, qui Gadibus valde florebat (R. E. IV, 1270^{10-14}). Ergo hic nummus in urbe Hispaniae cusus est, quam Gades ipsas fuisse paene pro certo habeam.

Sed quis fuit ille Balbus? Ganter (p. 51 adn. 2) hoc dicit: „Der auf einer Münze Caesars aus dem Jahre 43—42 vorkommende Proprätor Balbus ist als Statthalter in jener Zeit nirgends unterzubringen.“ Et addit eum fortasse, cum fuerit Caesaris propraetor, in Italia nummos cudisse. Hoc non accipiam; nam illo tempore propraetores in Italia munere functos esse nusquam legimus. Ille Balbus igitur in Hispania propraetor erat, quo inter hos tres annos, incertum est; fuit vir Gaditanus. Groagius putat hunc virum fuisse Balbum minorem, qui sine dubio illum nummum cudit, in quo legimus ‚Balbus pont [ifex]‘; nam eum in collegium pontificum receptum esse traditum est, non esse receptum Balbum maiorem; sed quis certis argumentis confirmare potest utrumque nummum eodem tempore cusum esse et ab eodem viro ?[2]). Praeterea autem illum anno 43 nullo munere functum esse nisi quaestorio (R. E. IV, 1269^{15} sqq) scimus, atque vidimus illum nummum, in quo legitur „Balbus PRO PR“, non post annum 41 cusum esse. Idem hic propraetor Balbus nescio quo pacto cohaerebat cum Gaditanis; fuit vir, cuius auctoritas illa aetate florebat. Iam Balbi illis temporibus muneribus publicis non fungebantur nisi minor et maior; quia ille praetor non fuit, mea quidem sententia certum est Balbum maiorem fuisse illum propraetorem commemoratum; praeter hos duos illis temporibus alii Balbi in re publica non sunt versati. Liceat

[1]) L. Ganter „Die Provinzialverwaltung der Triumvirn“, Diss. Argentorat. 1892, p. 47.

[2]) R. E. IV, 1270^{8} sqq.

autem hoc loco adhibere id, quod apud Appianum legimus, ineunte anno 41 L. Antonio imperatore Qu. Peducaeum et Lucium quendam ab Octaviano iussos legatos, ut ita dicam, pro praetore, primum solos, administrasse Hispanias[1]). Qua cum re optime illum nummum „BALBUS PRO PR“ inscriptum consentire puto, praesertim cum illo tempore nullus alius Balbus apud Octavianum auctoritate floruerit nisi ille Balbus maior.

Quibus expositis concludendum esse censeo Balbum, antequam consulatum iniit, munere propraetoris esse functum; incertum est quamdiu, fortasse usque ad autumnum anni 40. Illo tempore L. Antonius mortuus est, cuius imperium traditum est Cn. Domitio Calvino tum consuli, cui Balbus consul suffectus successit[2]), ut tamquam cum Calvino partes mutaret, quam rem minime offendere puto, praesertim cum illis temporibus magistratus ad arbitrium et ex voluntate eorum, qui obtinuerunt potestatem, dati sint. L. Cornelius Balbus maior peregrinorum quidem primus summum in re publica assecutus est locum[3]).

Una cum Canidio collega, quamvis magistratu non fungerentur nisi breve per tempus, splendidissime magnificentissimeque dies festos curabat celebrandos, quia pax inter Antonium Octavianumque erat restituta (Cassius Dio XLVIII, 32, 4). Idem ab iis, qui incolebant Capuam, summo honore affectus est, cum patronus crearetur[4]).

Anno 32 aderat Attico amico suo morituro[5]), quem quamdiu vita superaverit, non constat. Neque vero est verisimile eum theatri Balbiani, quod non ab eo, sed a Balbo minore aedificatum

---

[1]) b. c. V, 54: — πιστεύσειν δὲ ὡς τοιῷδε ἀνδρὶ πᾶσαν Ἰβηρίαν καὶ τὸν ἐν αὐτῇ στρατόν, ὑποστρατηγούντων αὐτῷ τῶν νῦν ἡγουμένων αὐτῆς Πεδουκαίου καὶ Λουκίου.

[2]) C. J. L. I^2, 61, 64, 65 f. augur. f. Colot. f. Biond. — Dio Cassius XLVIII, 32, 2. — Plin. n. h. VII, 136 fuit et Balbus Cornelius maior consul; cf. Fred. Fischer „Senatus Romanus qui fuerit Augusti temporibus“, Diss. Berol. 1908, p. 25 nr. 118.

[3]) Plin. n. h. VII, 136 primus externorum atque etiam in oceano genitorum usus illo honore, quem maiores Latio quoque negaverint. — Cf. autem Drumann-Groebe G. R. II^2, 522^{20-23} c. adn. 11 (praeterea 143 adn. 5). Iullien 135 sqq.

[4]) Titulus C. I. L. X, 3854: L. Cornelio. L. [f] Balbo cos. patr[ono] d[e] c[onscriptorum] d[ecreto].

[5]) Nepos „Atticus“, 21, 4: Atque hoc priusquam ei accideret, postquam in dies dolores accrescere febresque accessisse sensit, Agrippam generum ad se accersi iussit et L. Cornelium Balbum.

est, vidisse dedicationem, i. e. annum a. Chr. n. 11[1]). Unicuique civi Romano, cum moreretur, legavit, cum ne principem quidem praetermitteret, vicenos quinos denarios, id quod Cassius Dio tradit his verbis (XLVIII, 32,2): ... καὶ πλούτῳ καὶ μεγαλονοίᾳ τοσοῦτον τοὺς καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπους ὑπερενεγκὼν ὥστε καὶ δωρεὰν τοῖς Ῥωμαίοις ἀνὰ πέντε καὶ εἴκοσιν δραχμὰς τελευτῶν καταλιπεῖν, quae summa tertia pars illius erat congiarii, quod Caesar populo legaverat[2]). Incertum est, utrum liberos reliquerit necne; ex illis legatis de hac re nihil concludendum est.

Restat ut pauca addam illustraturus, quibus privatis studiis se dederit L. Cornelius Balbus, qui, etiamsi rem familiarem splendidissimam ad aedificia multa et magnifica adhibebat aedificanda, licet in ea re superatus sit a Balbo minore[3]), tamen litterarum fuisse videtur studiosior et philosophiae[4]). Cum Cicerone Atticoque tum M. Varrone familiariter utebatur[5]).

Illius Ciceronis ,,de finibus" opusculi librum quintum nondum plane exaratum, ante quam publico iudicio commissus est, eum perlegisse[6]) Hirtiumque ut de bello Gallico a Caesare gesto octavum conscriberet commentarium impulisse scimus[7]), — hic infuisse videtur in eo gloriae amor quidam atque cupiditas, quia sperabat illum adscripturum esse suum nomen in initio operis ea de causa — quin et ipse ,,historiae scriptor" appellabatur[8]). Ea quae scripsit mihi persuasi rerum a Caesare gestarum suarumque commentarios, minime belli ullius ut ita dicam fuisse historiam, praesertim cum ,,Caesaris familiarissimus" (Suetonius ,,Caesar" 81) fuerit, quae Suetoni verba omnino non in illa ἐξηγητικὰ apud

---

[1]) Cf. Cassius Dio LIV, 25, 2. De theatro Balbi cf. Richter, Topographie Roms² (J. Müller, Handbuch III, 3, 1), p. 221/2; de Crypta Balbi praeterea Hülsen R. E. IV², $1732^{55}-1733^{2}$. Cf. Groag R. E. IV¹, $1271^{1}-^{11}$. Iullien p. 149.

[2]) Iullien p. 150 c. adnn. (vir doctus putat hanc summam non pervenisse nisi in manus eorum, qui frumentum accipiebant).

[3]) anno 44 Ciceroni architectum quendam commendavit. Cf. ad Att. XIV, 3, 1 (d. 8 vel 9 apr. 44).

[4]) Cf. Iullienum p. 124 sqq.

[5]) Cf. ad fam. IX, 6, 1 (iun. 46): Homines, ut cognovi, amantis tui.

[6]) ad Att. XIII, 21, 4 (v. s.).

[7]) De bello Gallico VIII, praef., § 1: Coactus assiduis tuis vocibus, Balbe, cum cotidiana mea recusatio non difficultatis excusationem, sed inertiae videatur deprecationem habere, rem difficillimam suscepi.

[8]) Script. Hist. Aug. XXI, 7, 3.

Macrobium commemorata[1]), quae ego a Balbo minore conscripta esse puto[2]), sunt referenda, id quod factum esse videmus ab Herrmanno Peter his verbis[3]): „Unum ipsius historiae fragmentum dubium esse potest, utrius L. Corneli Balbi sit; nam etiam minor, maioris fratris filius, item Caesarianus, qui anno 19/735 ex Africa triumphavit, scripta quaedam edidit, praetextam de suo itinere ad L. Lentulum procos. sollicitandum... et ἐξηγητικά (Macr. sat. III, 6, 16)"; multo melius quadrant in illam „ephemeridem", cuius libri Sidonius Apollinaris mentionem facit hoc modo[4]): Eminet tibi thematis celeberrimi votiva redhibitio, laus videlicet peroranda, quam edideras, Iuli Caesaris, quae materia tam grandis est, ut .... nihil amplius in ipsa debeat cavere quam ne quid nimis dicat. Nam si omittantur, quae de titulis dictatoris invicti scripta Patavinis sunt voluminibus, quis opera Suetoni, quis Iuventi Martialis historiam, quisve ad extremum Balbi ephemeridem fando adaequaverit? Quae res est summi momenti gratoque animo esse debemus, quod traditum est, quemadmodum ille historicus Balbi liber fuerit inscriptus. Nam sine ullo dubio habemus imitationem illorum actorum diurnorum, quae scribenda, cui rei praeerat Eumenes, instituit Alexander Magnus continuaruntque diadochi[5]). Quod si statuimus, optime haec res quadrat ad Caesaris studium sua consilia cum illorum institutis copulandi. Balbum tamquam Caesaris Eumenem licet appellare. Quo ex opusculo quis est qui dubitet quin ea de Caesaris morte, quae apud Suetonium[6]) legimus, hausta sint prodigia? Refellenda mihi igitur esse videtur opinio Teuffeli[7]), qui illa verba Sidoni Apollinaris supra apposita ad octavum de bello Gallico pertinere censet commentarium, quem, etiamsi ut conficeretur Balbus erat auctor, ab Hirtio scriptum esse constat.

Iam supra dixi minime Balbum maiorem fuisse pontificem, fuisse minorem. Qua de causa, quamvis quicquam certi non

---

[1]) Saturn. III, 6, 16: et Cornelius Balbus 'Εξηγητικῶν libro octavo decimo ait ....

[2]) Cf. R. E. IV[1], 1268[41]—[45] (Muenzer) et 1271[33]—[38] (Groag).

[3]) Historicor. Rom. rell. LXII (XXI, p. 61, 21); cf. Teuffel-Schwabe I, 384, § 197, 4.

[4]) ep. IX, 14 sqq.

[5]) Cf. Wachsmuth, „Einleitung in das Studium der alten Geschichte", p. 565 sqq.

[6]) Caes. 81; cf. Groag R. E. IV, 1271[51]—[53].

[7]) I, 379, § 196, 1.

possimus dicere, negaverim maiori addicenda esse cum illa ἐξηγητικά, praesertim cum ex illis verbis, quae Macrobius addit, (.... apud aram maximam observatam, ne lectisternium fiat)[1]), fortasse concludi possit illa esse conscripta a pontifice, tum illud carmen, cuius mentionem facit Servius: .... Cornelius Balbus Hymenaeum ait Magnetis filium, musicae artis peritum, pulchritudine muliebri, dum nuptias Liberi patris et Altheae religiosis cantibus celebrat, exspirasse[2]). Sed fortasse alius aliter de hac re tam incerta iudicabit.

Liceat mihi ultimo loco de illa praetexta verba facere[3]). Illam minime a L. Cornelio Balbo maiore, sed a minore conscriptam esse puto constare. Egit enim in ea „de suo itinere ad L. Lentulum procos. sollicitandum". Quomodo inscripta fuerit, utrum „Iter" necne, non plane est certum. Quod iter non a Balbo maiore, sed a minore Caesaris internuntio ad Lentulum misso susceptum esse scimus[4]) proximoque anno (48) iteratum. Quae fabula cum anno 43 Gadibus ageretur, illum Balbum minorem, qui tunc quaestor erat, rerum gestarum memoria commotum profudisse lacrimas narrat Asinius Pollio his verbis: Illa vero iam ne Caesaris quidem exemplo, quod ludis praetextam de suo itinere ad L. Lentulum procos. sollicitandum posuit, et quidem, cum ageretur, flevit memoria rerum gestarum commotus (ad fam. X, 32, 3 — d. 8. iun. 43).

Haec habeo, quae de L. Corneli Balbi maioris vita dicere possum. De eo, quot iudicaverunt viri docti, tot exstant opiniones, et iustae et iniustae. Quas singillatim me afferre longum est; vide, quaeso,

---

[1]) Haec pertinent ad Herculis cultum rite excolendum, cui Balbus, ut erat Gaditanus, a puero aderat. Cf. R. Peter apud Roscherum Lex. d. Myth. I, 2929.

Video etiam virum doctissimum Funaioli in libro suo „Grammaticae Romanae fragmenta" (I, 541—542) haec fragmenta ἐξηγητικῶν attribuisse Balbo minori. Addo autem illum dicere haec ἐξηγητικά „Vergilianas quaestiones amplexa esse". De hac re dubitari potest. Cf. Groagium R. E. IV^1, 1271^{38-47}. Ceterum monendum est fieri posse, ut ii, qui dicunt quemcumque literatum hominem sive pontificem sive non pontificem potuisse rerum, quae ad caerimonias vel sacra excolenda pertinent, curiosum esse, non sint in errore. Res est incertissima.

[2]) ad Aen. IV, 127.

[3]) Cf. Groagium R. E. IV^1, 1271^{17-21}.

[4]) ad Att. VIII, 15 A, 2 (ex. febr. 49). Vell. Pat. II, 51, 3.

Drumann-Groebe II^{2}, 523.
Muenzer R. E. IV, 1268$^{44-54}$.
Mommsen R. G. III^{9}, 490.
Eußner B. Ph. W. 1888, 1599.
Hellmuth, Progr. p. 31 extr.
Iullien p. 156, cf. 134.
Tyrrell and Purser IV, p. 69.

Vel maxime in eum illud Schilleri valere puto:

„Von der Parteien Haß und Gunst verwirrt
Schwankt sein Charakterbild in der Geschichte.“

Additamenta exegetica.

1.

pro Balbo XIX, 43.

.... inveteratam quondam barbariam ex Gaditanorum moribus disciplinaque delerit .....

Quaerendum est quomodo hic locus sit interpretandus. Liceat autem mihi praemittere in omnibus codicibus traditum esse „quondam“, quam lectionem, quia bonum praebet sensum, retinere velim contra Lambinum, qui coniecit „quandam“, quam coniecturam recepit Petersonius. Optime Klotzius mea quidem sententia monet: (III, 1062): „Behält man aber quondam bei, so schiebt man die Schuld jener barbaria mehr auf eine frühere Zeit zurück“. Illa igitur, quam Caesarem delevisse dicit Cicero, res quaedam erat, ut ita dicam, altissimis radicibus in civitate Gaditanorum defixa (Drumannus-Groebe G. A. II^{2}, 515: „der tief eingewurzelten Barbarei“). „Quondam“ igitur est: iam inde ab antiquissimis temporibus, iam dudum, iam pridem.

Sed quae est illa barbaria? Non puto Ciceronem dicere linguae barbariam, i. e. Punicae[1]); nam apparebat illa in „moribus disciplinaque“. Eaden de causa refellenda est Reidii opinio, qui hunc locum ita interpretatur (p. 83): „The Punic element in the population no doubt oppressed the non-Punic, and Caesar's reforms gave all classes equal right before the law“. Ne ius quidem Poenorum vel Gaditanorum Cicero in animo habet. Quia testimonia desiderantur, aegre ferimus, quod de hac re nil certi possimus dicere. Fortasse significatur a Cicerone barbara

---

[1]) Sic Huebnerus quoque iudicat R. E. VII^{1}, 456$^{49-52}$.

consuetudo hominum immolandorum, quae valebat in cultu Saturni Punici, cuius dei Gadibus fuisse templum tradit Strabo (III, 169) his verbis: προςεχὲς δ' αὐτῇ ἐστι τὸ Κρόνιον πρὸς τῇ νησῖδι[1]). Sed potest hoc quoque fieri, ut Cicero spectet ad maxime barbaram illam poenae consuetudinem, de qua egit nuper vir doctissimus Cichorius in opere gratulatorio universitati Vratislaviensi dedicato[2]). Docet in Africa septentrionali prope Carthaginem sita foedissimam poenam valuisse, qua homines in terram ex parte defossi deinde combusti sunt. Haec res a tribus scriptoribus traditur, primum a Gellio (N. A. III, 14, 19; cf. V, 21, 17): M. Cato de Carthaginiensibus ita scripsit: homines defoderunt in terram dimidiatos ignemque circumposuerunt, ita interfecerunt, deinde ab Appiano (Νομαδική fr. 3): Θρᾷκας δὲ καὶ Λίγυας αὐτομόλους λαβὼν παρὰ Ἰογόρθα τῶν μὲν τὰς χεῖρας ἀπέτεμνε, τοὺς δὲ ἐς τὴν γῆν μέχρι γαστρὸς κατώρυσσε καὶ περιτοξεύων ἢ ἐςακοντίζων ἔτι ἐμπνέουσι πῦρ ὑπετίθει, tum ab Asinio Pollione[3]) .... Fadium quendam — abstractum defodit in ludo et vivum combussit. Appianus verba fecit de Qu. Caecilio Metello Numidico, qui hiberno tempore annorum 108/7 in illa regione morabatur, cum bellum gereret; ille locus Catonis secundum Cichorium sumptus est e quarto Originum libro, in quo agebatur Carthaginiensium de constitutione civitatis, moribus, consuetudine, ritu. Asinius vero Pollio narrat de crudelitate L. Corneli Balbi minoris, qui tum illic munere fungebatur quaestorio. Constat igitur illud crudele supplicium in ea regione a maioribus Poenis traditum in usu mansisse. Balbus ut Gaditanus patrium adhibebat poenae genus. Rectissime enim Cichorius (p. 575): „.... Die Erklärung hierfür dürfte sich einfach aus dem Schauplatze der Begebenheit und aus der Persönlichkeit des Balbus ergeben. Der Vorfall hat sich nämlich in Gades abgespielt, dieses aber ist eine alte phönizische Kolonie wie Kathago selbst, unter dessen Herrschaft es übrigens längere Zeit gestanden hatte[4]). — Daß sich dort ein alter Brauch, den wir mehrere Jahrhunderte früher in der Schwesterstadt Karthago

---

1) Cf. R. E. VII^1, 448$^{40-58}$. Gasquy p. 21.

2) Festschrift zur Jahrhundertfeier der Universität zu Breslau im Namen der Schlesischen Gesellschaft für Volkskunde herausgegeben von Theodor Siebs. Breslau 1911. „Feuertod mit Eingraben im Altertum."

3) ad fam. X, 32.

4) Cf. R. E. VII^1, 454$^{20-62}$.

bezeugt finden, noch bis in diese späte Zeit gehalten hat, ist um so weniger befremdlich, als uns gerade von Gades auch sonst das Festhalten an uralten Institutionen ausdrücklich überliefert ist[1]). — Dann kommt nun aber weiter vor allem hinzu, daß Balbus selbst geborener Gaditaner gewesen ist. — Bei ihm ist also die Kenntnis und die Anwendung eines alten Gebrauches seiner Heimat und zwar eben in dieser selbst recht wohl zu begreifen". Etsi nescio, utrum Cicero quoque in oratione hanc ipsam poenam ante oculos habuerit necne, tamen veri non dissimilis mihi videtur ea interpretatio. Relapsus est Balbus minor in pristinam inhumanitatem, licet eam Caesar olim abolendam curaverit.

2.

pro Balbo XXV, 57.

Et adoptatio Theophani agitata est, per quam Cornelius nihil est praeterquam propinquorum suorum hereditates adsecutus.

Optimo iure Reidius monet (p. 94): „It is impossible to state exactly the meaning of these words." Manutius, cuius Klotzius facit mentionem (III, 1065), ita locum declarat, ut dicat Balbum ea, quae a Theophane hereditate acceperit, inter propinquos suos dispertisse, ut non ipse, sed illi eis usi sint, quam opinionem probare non possum. Nihil tale a Cicerone dicitur. Nam si res ita facta esset, Balbus non propinquorum hereditates esset adsecutus, sed illi assecuti essent Balbi hereditates. Ea, quae Iullienus profert (p. 44 adn. 5): „Crediderim equidem eos, qui Balbi a Theophane adoptati facti sunt propinqui, certam, sed aliam patri et filio dedisse testamento partem. Non alio pacto intellegas, cur Theophane vivo Balbus tamen hereditates assequi potuerit", fere non intellegenda vel nimis artificiosa puto; ne huiuscemodi quidem quicquam a Cicerone dicitur vel ex eis verbis mea quidem sententia concludi potest. Multo melius mihi videntur excogitata et faciliora ad intellegendum, quae Gasquyus proposuit (p. 15): „Cum potius per adrogationem quam per adoptionem in Theophanis familiam Balbus venisset, non plus ei

[1]) Ex loco quodam apud Avienum or. mar. 273 (nos hoc locorum praeter Herculaneam solemnitatem vidimus miri nihil) apparet etiam quarto p. Chr. n. saeculo Herculis Gadibus cultum secundum eundem pervetustum ritum celebratum esse ac fere mille annis ante.

evenit quam natura, nihil ex Theophanis fortunis habuit, sive nihil ille heredibus reliquerit sive nihil ex hereditate sibi Balbus adrogaverit"[1]); quae interpretatio per se optime convenit in Ciceronem defendentem Balbum ab invidia huius hereditatis. Sed ne hoc quidem satis mihi placet. Puto enim, ut haec quaestio profligetur, primum definiendam esse vim vocabuli propinquorum.

Sall. Iug. 16: Affines, amicos, propinquos ceteros meos, alium alia clades oppressit[2]).

Propinquus est sanguine, affinitate, amicitia coniunctus.

Cf. Nepos: Cognatione propinqua coniunctus.

Tac.: Propinquus principi sanguis.

„Propinqui" primum igitur sunt „die Näherstehenden" (cf. Cic. pro Milone 76), deinde „die Verwandten", quam sententiam confirmat locus, qui apud Isidorum exstat (de differentiis I, 110.) — etiam ille discernit inter „affines" et „propinqui" ita, ut ‚propinquus' sit pro genere, ‚affinis' pro specie — „propinquus sanguine vel affinitate coniunctus"; et quia ille episcopus vocem affinis definit hoc modo „affinis nuptiis veniens"[3]), propinqui vocabulum hoc modo declarandum esse censeo: propinquus is est, qui vel sanguine ipse coniunctus est vel qui nuptiis in gentem recipitur. Hinc profectus crediderim Klotzium sanam interpretandi rationem inisse; etenim putat illas divitias, quae olim Balborum fuissent, antea Theophanis necsio quo pacto factas per illam adoptationem rursus ad gentem Balbi revertisse filii et heredis illius Mytilenaei. „So wird die Gehässigkeit, daß Balbus nach fremdem Vermögen bei jener Machination gestrebt, leicht beseitiget" (III, 1065). Supplet hanc interpretationem quodammodo Reidius suspicans, quod Klotzius in dubio reliquerat, ad matrimonium aliquod respiciendum esse, his verbis: „Theophanes may have been married into the family of Balbus"; et fere sequi videtur illam Isidori doctrinam; Balbi propinqui sunt propinqui Theophanis adoptione illius facti; quia autem non sanguine cum eis coniunctus erat, hoc loco adhibeam illud Isidori „affinitate coniunctus" i. e. nuptiis veniens et ea re coniunctus. Omnibus igitur tractatis concludam Balbi propinquos esse eos

---

[1]) Cf. Cic. de domo sua XIII, 35. Instit. I, 11. Gell. V, 19.

[2]) Addam vocabula adfinis et propinqui perspicue inter se distingui. Cf. Verr. III, 89: adfinem atque propinquum.

[3]) Cf. Sall. Iug. 111, 2 — „affinitatem": Bochus Iugurthae socer factus affinitate cum eo coniunctus erat.

homines, qui, cum Theophanis essent propinqui, nuptiis eius etiam Balbi essent facti. Eorum igitur divitias L. Cornelius est assecutus adoptione sua atque hereditate.

Caput II.

De consuetudine civitatis.

Hoc capite mihi proposui, ut nonnulla disceptarem de consuetudine civitatis dandae, quae fuerit illis rei publicae temporibus et quomodo civitas Romana mutari aut amissa potuerit recuperari, quae deliberationes referri possunt ad orationem Balbianam. Incipiendum autem nobis est ita, ut quaeramus, qualis fuerit status causae Balbianae.

Non dubitamus, quin habeamus constitutionem negotialem[1]). De hac legimus in Ciceronis libro de inv. I, 11, 14: negotialis [est], in qua, quid iuris ex civili more et aequitate sit, consideratur et II, 21, 62: Negotialis est, quae in ipso negotio iuris civilis habet implicatam controversiam. Quaeritur, potueritne quis ex civitate foederata in civitatem venire Romanam, nisi is populus fundus factus esset (cf. Rohde p. 5/6). Accusator hoc negaverat, etsi negare non potuit Pompeium civitate donasse Balbum, cum graviora argumenta essent praesto quam ut hoc faceret (pro B. VIII, 19). Omni modo studet imperatori clarissimo obtrectare. „Fecisse, quod eum facere non licuerit" (pro B. III, 8); demonstrare in animo habet Balbum non secundum leges et consuetudinem civem Romanum esse factum.

Quae ille dixit, Cicero proscindere studet, ut est homo iuris peritissimus, multis exemplis adhibitis, unaquaque civitatis consuetudine satis disceptata; iam Pompeius, qui primus pro Balbo locutus est, de iure, de exemplis, de foederibus, de aliis rebus permulta dixerat (I, 2), ut causam Balbi iudicibus probaret. Non satis perspici potest, quae deinde Crassus pro Balbo protulerit; Cicero de eis paululum cautius egit; dixit nihil nisi eum causam diligentissime explicasse.

Ex eis, quae sequentur, videbis, quomodo ex consuetudine civitatis adversariae illae opiniones sint aut accipiendae aut refellendae.

---

[1]) Cf. Rohde 154, 5. Cic. de inv. II, 22, 65.

Ac primum quidem de populis foederatis[1]).

De his egit vir doctus Reid praef. p. 16 sqq. Mommsenus exhibet haec (St. R. III[1], 652): „Foederati heißen die abhängigen Bundesgenossen in Beziehung auf die formale Beschaffenheit des begründenden Rechtsakts“ et Neumann (l. c. p. 408 de liberis civitatibus) „.... Bei einigen dieser freien Städte ruhte der Rechtsstand auf einem Vertrag mit Rom, auf einem foedus; dieser Rechtsstand konnte also nicht einseitig abgeändert werden“. Foedere Gaditano[2]) destinatum erat, ut esset „pia et aeterna pax“. Haec forma sollemnis saepius occurrit, e. g. Liv. XXXVIII, 38, 2; cf. Polyb. III, 22, 3 et 24, 4 ἐπὶ τοῖςδε φιλίαν εἶναι ... Hoc etiam Karlowa monet (R. R. G. I, 289): „Der Zweck des foedus ist .... einen dauernden Frieden zwischen ihnen herzustellen. Der ausgesprochenen Idee nach soll das foedus für ewig[3]) gelten“. Idem legitur apud Mommsenum (St. R. III[1], 653): „Das foedus ist, wie wir sahen (I, 249), der mit dem Exsekrationsschwur verbundene und dadurch unwiderruflich gewordene Staatsvertrag [cf. pro B. § 33]; als foederati sind die Bundesgenossen durch einen solchen an Rom geknüpft. Aber keineswegs sind die Bürger aller Staaten römische foederati; vielmehr kommt diese Bezeichnung nur denen zu, deren foedus mit Rom die auf ewige Zeiten festgestellte [pro B. 35] einerseits beschränkte, andererseits garantierte politische Selbständigkeit in sich schließt ....“.

Sed in foedere Gaditano adiunctum aliquid est (XVI, 35), quod, ut utar Ciceronis verbis, non est in omnibus foederibus. „Maiestatem populi Romani comiter conservanto“[4]). His verbis primum elucet Gaditanos non aequis condicionibus ac Romanos

---

[1]) Cf. Gasquy 45 sqq.

[2]) De hoc foedere; cf. R. E. VII[1], 456. Gasquy 48/9, 55.

[3]) Cf. Dionys. VI, 95: Ῥωμαίοις καὶ ταῖς Λατίνων πόλεσιν ἁπάσαις εἰρήνη πρὸς ἀλλήλους ἔστω, μέχρι ἂν οὐρανός τε καὶ γῆ τὴν αὐτὴν στάσιν ἔχωσιν.

[4]) Cf. Mommsen, St. R. III[1], 663: „Die Untertänigkeit der Bundesgenossen wird .... in die jüngeren Bundesverträge geradezu hineingesetzt durch die Formel der Anerkennung der Hoheit des römischen Volkes“. Cicero hanc formulam ita interpretatur (pro B. XVI, 35—36): Id habet hanc vim, ut sit ille in foedere inferior .... cum alterius populi maiestas conservari iubetur, de altero siletur, certe ille populus in superiore condicione causaque ponitur, cuius maiestas foederis sanctione defenditur. Quam interpretationem Proculum secutum esse recte Mommsenus iudicasse (St. R. III[1], 664, adn. 1) mihi videtur, cum haec scripsisset (Dig. IL, 15, 7, 1): Hoc .. adicitur, ut intellegatur alterum populum superiorem esse, non ut

usos esse. Gaditani igitur in foedere inferiores erant, quod foedus iniquum vocabatur. Quo de foedere egit Karlowa (R. R. G. I, 289). Gaditanorum civitas igitur erat libera et foederata, etsi foedere non aequo. Aliae civitates aequis foederibus cum Romanis erant coniunctae, e. g. Heraclea. Cf. pro Archia IV, 6: quae cum esset civitas aequissumo iure ac foedere. In illa foedera ea formula sollemnis non recepta esse videtur. Addam locum, qui exstat in Digestis (IL, 15, 7), quo loco Proculus agit de foederibus aequis atque iniquis: Liber autem populus is est, qui nullius alterius populi potestati est subiectus sive qui foederatus est, item sive aequo foedere in amicitiam venit sive foedere comprehensum est, ut is populus alterius populi maiestatem comiter conservaret. Proculum igitur civitates sive aequo foedere sive iniquo coniunctas liberas esse videmus docere.

Ex populo foederato accusator negaverat (pro B. VIII, 19) quemquam civem posse fieri Romanum, nisi is populus (i. e. civitas foederata) fundus factus esset. Quaeritur, qua vi fundus hoc loco dictum sit. Fundus[1]) per se est „Grund und Boden" sive vasis sive loci. Cf. Cic. pro Cluent. 64: Armarii fundum exsecuit. Plin. 3, 20, 8: amnis fundo carens. Tralaticio sensu hoc vocabulum Plautus exhibet (Trin. V, 1, 60 sqq.):

Nunc mihi is propere conveniendus est, ut quae cum eius filio
Egi, ei rei fundus pater sit potior.

„Fundus" hic est is, qui omnia et commoda et incommoda ab aliquo homine in se recipit. Eodem sensu Gellius hoc „fundus" adhibet N. A. XIX, 8: Sed haec ego, inquit, dixi, non ut huius sententiae legisque fundus subscriptorque fierem, sed ut ne Caesaris viri docti opinionem ἀπαραμύθητον destituerem.

Videmus vocabulum, quod per se refertur ad res, adhiberi de personis. Iam supra dixi, quae vis esset vocabuli hunc in modum adhibiti. Praecipue autem hoc vocabulum adhibebatur

---

intellegatur alterum non esse liberum: et quem ad modum clientes nostros intellegimus liberos esse, etiamsi neque auctoritate neque dignitate neque virib[us] nobis p[ares] sunt, sic eos, qui maiestatem nostram comiter conservare debent, liberos esse intellegendum est". Eodem modo Gasquy (p. 47) profert: „Foederatae quidem iure liberae sunt". Cf. etiam Gasquy 47 sqq.

[1]) Cf. Mart. VIII, 6, 9 (de vase), Gellius N. A. XVII, 8 (de aliqua parte cenae). Cf. Hoche p. 8 adn. 3. Klotz III, 104, 8. Reid p. 64 (29).

tum, cum aliquis populus institutiones alterius, quocum aut amicitia aut foedere erat coniunctus, pro suis habebat atque comprobabat. Recte Forcellinius monet (L. T. L. III s. v.): „Populus fundus fieri dicitur, qui, proprii iuris cum sit, se nihilominus sponte subdit legibus Romanis, quarum vi ipse cum agro suo fundus Romae fit". Hoc sensu intellegenda sunt verba cum Ciceronis (pro B. VIII, 20): Sed totum hoc, iudices, in ea fuit positum semper ratione atque sententia ut, cum iussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini et si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tamquam in fundo resedisset, ut tum lege eadem is populus teneretur, non ut de nostro iure aliquid deminueretur, sed ut illi populi aut iure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo aut beneficio uterentur — tum Gelli N. A. XVI, 13: Municipes sunt cives R. ex municipiis .... nulla populi R. lege adstricti, ni in quam populus eorum fundus factus est[1] — et Pauli (ex Festo p. 89, 1 Müll.): fundus quoque dicitur populus esse ei rei, quam alienat, i. e. auctor [fundus, d. h. genehmigungsberechtigt, sagt man, sei ein Volk für die Sache, über die zu verfügen es einem anderen überließe]. Lex quaedam Romanorum ut valeret in civitate foederata nulla alia re effectum est nisi ea, ut illa civitas hanc legem comprobaret, qua de re vir doctus Karlowa recte iudicavit his verbis[2]): „Ein römisches Gesetz, auch wenn es für die socii mitberechnet war, erhielt nur dadurch für den einzelnen bundesgenössischen Staat rechtliche Gültigkeit, daß derselbe seine Genehmigung zur Geltung desselben für seine Angehörigen erteilte (fundum fieri)". Rectissime igitur Paulus Manutius in definiendis verbis explanavit, quemadmodum accusatoris et Ciceronis inter se distarent sententiae (arg. Balb.): „Tota causa foedere pendet, id est, ab interpretatione eorum verborum: „ut populus fundus fieret". Accusator sic interpretabatur: fundum fieri populum cum auctor esset eius rei, quam alienaret [ein Volk werde fundus, wenn es genehmigungsberechtigt für die Sache wäre, über die zu verfügen es einem anderen überließe]; Cicero: cum acciperet unam pluresve leges Romae latas, ut iis legibus in posterum aeque ac populus Romanus uteretur". Accusator igitur, sine ullo dubio recte, putabat illud „fundum fieri" adhiberi non posse, nisi quasi exoreretur ex

---

[1]) De populis fundis cf. Gasquyum p. 57 sqq.
[2]) R. R. G. I, 290.

foederato populo; Cicero, ut causae magis inserviret, sicut dixit maiestatem Romanorum imperii observandam esse, ita illa verba intellegebat hoc modo: Populus foederatus, cum fundus fit, nihil aliud facit nisi ut remittat sua iura accipiatque Romana. Putabat igitur M. Tullius — sive simulabat, ut causae prospiceret bonum eventum — illud „fundum fieri“ magis beneficium populi Romani quam ius civitatis esse foederatae. Cf. pro B. VIII, 21: Postremo haec vis est istius et iuris et verbi, ut fundi populi beneficio nostro, non suo iure fiant. Hoc ius adhibendum esse docuit Cicero in leges, quas civitati foederatae liceret accipere, illud si professa esset, non esse adhibendam in civitatem alicui donandam, qua re maiestas populi Romani minime conservaretur. Docet eos constituere in animo habuisse non de Romanis rebus, sed de suis, quo iure uti vellent. Cf. pro B. VIII, 22[1]).

De populis foederatis, qui fundi facti sunt, satis dictum esse puto. Nunc pauca addam de municipiis fundanis, quae dicuntur, de quibus Mommsenus luculenter egit in scripto suo de legibus Salpensana et Malacitana[2]); idem vir doctissimus egit de municipiis saepius in libro suo „Römisches Staatsrecht“ (e. g. III[1], p. 795 sqq.). Quod non alienum puto ab eo, quod nunc ut explanarem mihi proposui; scimus enim Gades postea in municipiorum numerum esse receptas[3]). Atque eas municipium fundanum fuisse mea quidem sententia concludi potest vel inde, quod nusquam traditur Gaditanos recusasse, ne in imperium Romanum reciperentur, atque eis inter alia iura imprimis id remansisse, ut fundi fierent earum legum, quae ad eos pertinebant, id quod iam summum erat ius tum, cum etiam civitates foederatae nondum imperio Romanorum erant addictae. Haec exposuit Karlowa his verbis[4]): „Gewisse Munizipien werden im Gegensatz zu anderen als municipia fundana bezeichnet. Dieser Ausdruck zeigt zunächst, daß das betreffende Gemeinwesen in der Weise in den römischen Bürgerverband aufgenommen ist, daß es zu dem betreffenden römischen Volksbeschluß fundus wurde, die Aufnahme in den römischen Bürgerverband ist nicht wider seinen Willen geschehen. Die Bezeichnung „municipium fundanum“ besagt aber weiter, daß das betreffende Gemein-

[1]) Cf. Huebnerum R. E. VII[1], 457[6]—[41].
[2]) Cf. Klotzium p. 1049/50 (III).
[3]) „Juristische Schriften“ I, 302, adn. 45.
[4]) R. R. G. I, 297.

wesen auch nach seiner Aufnahme in den römischen Bürgerverband ein fundanum sei, d. h. daß die gewöhnlichen römischen leges, welche an und für sich für alle römischen Bürger galten, für diese Munizipien nur Geltung haben sollten, falls sie fundi dazu geworden seien; sie standen also in dieser Beziehung noch den föderierten Staaten gleich und hatten sich einen Rest früherer Souveränität bewahrt". Nonnulla vetera municipia appellantur municipia foederata; vide e. g. Cic. Phil. III, 6, 15 (de Aricia). Nusquam traditur municipium ullum esse civitatem foederatam; hae enim liberae erant, illud erat membrum, ut ita dicam, imperii Romanorum, qua de causa, praesertim cum videamus eas hac in re, quod legibus Romanis fundi fiebant, aequi iuris esse ac civitates foederatas, municipium foederatum idem esse mihi videtur ac municipium fundanum; duo nomina mihi videntur esse in uso promiscuo. Hic quoque recte Karlowa[1]): „Einige Male wird für ein paar alte Munizipien der Ausdruck „municipium foederatum" gebraucht, so für Capena in Inschriften (Willm. 981. 2084) und für Aricia (Cic. Phil. III, 6, 15). Es ist zwar nicht unmöglich, aber kaum glaublich, daß mit jenem gewiß nicht staatsrechtlich technischem Ausdruck etwas anderes gemeint sei als ein municipium, welches zu seiner Aufnahme in den römischen Bürgerverband fundus geworden ist".

Sed hac ex quaestione iam alia nascitur, quae maxime ad causam Balbi spectat, atque ea difficilior, quam Mommsenus in hanc formam redegit[2]): „.... ob die römische Gemeinde befugt ist, ihr Bürgerrecht dem Bürger einer bundesgenössischen Gemeinde einseitig zu verleihen, so daß, wenn er annimmt, das bisherige Bürgerrecht aufgehoben ist, oder ob hierzu die Einwilligung auch der bundesgenössischen Gemeinde erfordert wird"[3]). Vir doctissimus, cum haec scripsit, spectavit ad locum illum orationis Balbianae (VIII, 21): ipsa denique Iulia, qua lege civitas est sociis et Latinis data, qui fundi populi facti non essent, civitatem non haberent: in quo magna contentio Heracliensium et Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitati anteferret. Ex quo loco videmus in illis civitatibus libertatis amore nonnullos inflammatos

---

[1]) R. R. G. I, p. 298.
[2]) R. St. R. III[1], p. 697..
[3]) Cf. Reid, p. 11.

recusasse, ne civitatem acciperent; foederati esse malebant, cum scirent se civitate Romana accepta permulta officia praestare esse debituros.

Vidimus, quo modo res sese habuerit ratione habita eorum foederum, quibus Romanis licebat foederatis civitatem dare Romanam; quae autem erat ratio in eis foederibus, quibus hoc non licebat?

Nonnulla foedera exstiterunt, quibus Romani obligati erant, ne cuiquam ex illis civitatibus darent civitatem Romanam. Dicit Cicero pro B. XIV, 32: Etenim quaedam foedera exstant, ut Cenomanorum, Insubrium, Helvetiorum, Iapydum, non nullorum etiam ex Gallia barbarorum, quorum in foederibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur. Huiuscemodi nihil in foedere Gaditano erat. „Ergo ubi non sit exceptum, ibi necesse est licere". (Cic. pro B. XIV, 32). Accusator illam exceptionem exstare in foedere Gaditano contenderat, ita, ut Romanis non licuisset Balbum civem facere Romanum. Qua exceptione factum esset, ut foedus Gaditanum esset sacrosanctum[1]). Quae est vis huius vocabuli? Sacrosanctum est id, quod populus plebesve sanxit (XIV, 33); qui contra facit, gravi poena opprimitur. Nec capitis consecratione nec obtestatione legis sacrosanctum fuit foedus Gaditanum, quod populus non comprobavit. Praeterea ea rata esse Cicero monet, quae postea populus sanxerit, etiamsi antea illa exceptio exstiterit; nulla re igitur Romanos esse impeditos, ne quem civem Gaditanum, praecipue Balbum, reciperent in civitatem Romanam. Huc illud Mommseni spectat[2]): „Wenn der Empfänger einer mit Rom in Vertrag stehenden Gemeinde angehört, so kam es in betreff der von dieser zu gebenden Einwilligung zunächst auf die Bestimmung des Vertrages an. War darüber nichts festgesetzt, so scheint die Theorie eine solche Einwilligung zu fordern; in der Praxis hat man in Bezug auf den Eintritt des Bürgers eines Bundestsaates in die römische Bürgerschaft davon wohl abgesehen"; eandemque ad rem spectavit cum scripsit (R. St. R. III[1], 698):

---

[1]) Cf. Reid, p. 76/77. Klotz III, p. 1056—58. Gasquy, p. 48. Festus „sacrosanctum dicitur, quod iureiurando interposito institutum est, si quis id violasset, ut morte poenas penderet". p. 466 Thewrewk I.

[2]) R. St. R. III[1], 134.

„Hinsichtlich der bundesgenössischen Gemeinden ist in der letzten Zeit der Republik über die Notwendigkeit der Zustimmung derselben gestritten worden[1]), und es mag wohl den Bürgern derselben das römische Bürgerrecht damals tatsächlich durch einseitigen römischen Akt verliehen worden sein; aber die entgegengesetzte Auffassung ist ohne Zweifel die korrekte“.

Cicero in oratione Balbiana permulta praebet exempla, quibus confirmat civitatem Romanam foedere non violato cum populis, tum singulis hominibus esse datam[2]); in decretis modo nominatim modo alium in modum[3]) appellantur ii, qui donantur. Recte Mommsenus monuit illud, si civitas populis donaretur, nihil aliud esse nisi singulis hominibus „mit abgekürztem Ausdruck“[4]).

Toti populi rei publicae temporibus non donati sunt civitate nisi ab ipso populo; cf. Mommsenum (R. St. R. III[1], 134 c): „Die Verleihung oder Ergänzung des römischen Bürgerrechts für ganze Bürgerschaften hat in republikanischer Zeit nie anders stattgefunden, als durch unmittelbaren Akt der souveränen Volksgemeinde. Noch der Diktator Cäsar hat hieran nicht gerührt (cf. Hermes 16, 33 sqq. — Dio XLI, 24)“.

Plebiscito singulis civibus rarius civitas Romana data est. Exemplum huius consuetudinis et id non satis probatum affert Mommsenus (R. St. R. III[1], 134 b, cf. adn. 2). De hac re cf. Reid p. 12. Simile exemplum praebet Livius III, 29, 6 (mentio fit L. Mamili Tusculanorum dictatoris, qui anno 460 cito armis

---

[1]) Cf. Gasquyum, p. 63: „Privatis autem in civitatem venire semper licuit, nec tum necesse erat, ut populus fundus fieret. Quod quidem negat iniuria Balbi accusator“. Cf. pro B. VIII, 19.

[2]) Cf. pro B. §§ 24, 31, 46, 50, 51, 55.

[3]) Singillatim: Cic. pro B. VIII, 19; viritim: C. I. L. II, 159; III, 5232.

[4]) R. St. R. III, 132, adn. 4; cf. Cic. pro Arch. IV, 7: data est civitas Silvani lege et Carbonis, si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent, si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent; et si sexaginta diebus apud praetorem essent professi. Gasquy p. 34: „Si singulis hominibus modo datur, non ad eorum bona id pertinet: ex quo fit, ut praedia provincialia maneant, cum ipsi domini cives Romani facti sint; sin autem integro alicui populo hoc eximium ius conceditur, non modo omnes, qui eo tempore huius urbis cives sunt, cum eorum posteris simul civitatem consequuntur, sed omnes etiam, qui postea in tali oppido civium numero iusto modo ascribentur“.

subvenerat); anno 211 Sosis Syracusanus (Liv. XXIII, 31) et Moericus Hispanus quidam (XXVI, 21, 10), anno 210 Muttines vir Carthaginiensis (Liv. XXVII, 5, 7: Muttines civis Romanus factus rogatione ab tribuno plebis ex auctoritate patrum ad plebem lata) cives Romani facti sunt. Cf. Liv. XXXIX, 19, 5. Vir doctissimus putat illis locis, quibus civitatis datae mentio fit, e. g. Liv. XXVI, 21, 11, plebisciti commemorationem casu esse omissam.

Sed videmus populum Romanum civitatem non solum ipsum cum universis civitatibus dedisse tum singulis hominibus, sed etiam per internuntios ut ita dicam, id quod summi est momenti, cum ad causam Balbi spectamus, nam Balbus a Pompeio, imperatore Romano, civitate erat donatus.

Hoc primum occurrit, cum ea lege, qua aliquis coloniam deducere iubetur, illi permittitur, ut certum numerum eorum, qui nondum cives sunt, civium numero adscribat. Quod iam anno a. Chr. n. 184 factum esse videmus[1]), quo anno Potentia Pisauroque coloniis deductis civitate est donatus Ennius poeta (Cic. Brut. XX, 79). Eodem modo anno 100 C. Mario a senatu facultas data est ternorum in unaquaque ab eo deducta colonia hominum civitate donandorum. Id in ipsa oratione Balbiana narratur (XXI, 48): ... qua lege [i. e. lege Apuleia] Saturninus C. Mario tulerat, ut in singulas colonias ternos civis Romanos facere posset .....

Aetate bellorum civilium videmus saepius imperatores iis, qui Romanos in magno aliquo rerum discrimine adiuverant, civitatem dedisse. Hoc primum in eo bello, quod Marius cum Cimbris gessit — anno a. Chr. n. 101[2]) —, inde ab illo tempore saepius factum est[3]). Summi momenti sunt ea, quae Mommsenus addit his disceptatis (R. St. R. III[1], 135e): „Mehr und mehr ist dabei von dem Fundament der ausgezeichneten Dienstleitung abgesehen worden. — Aber allgemeines Feldherrenrecht war diese Schenkung bis dahin nicht, sondern beruhte in republi-

---

[1]) Mommsen, R. St. R. III[1], 135 d.

[2]) Plut. Mar. 28. pro B. XX, XXI. Val. Max. V, 2, 8.

[3]) Sisenna (l. IV, fr. 120, Peter): milites, ut lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donari. — De Sulla pro Arch. X, 25. De Pompeio pro B. VIII, 19; XIV, 32. Iustin. 43, 5, 11. De Caesare: ep. ad fam. XIII, 36, 1. Phil. I, 10, 24; V, 4, 11. Suet. Div. Iul. 42.

kanischer Zeit immer auf besonderem Volksschluß"[1]). Cf. pro B. VIII, 19: .... lege[2]), quam L. Gellius Cn. Cornelius[3]) ex senatus sententia tulerunt, ... videmus satis esse sanctum, ut cives Romani sint ii, quos Cn. Pompeius de consili sententia singillatim civitate donaverit. Quod factum est bello Sertoriano confecto; hac lege etiam Balbum factum esse vidimus civem Romanum.

Liceat mihi hic paululum insistere; video enim Mommseni atque Reidi inter se distare sententias quaerentium, utrum Mario potestas civitatis singulis hominibus bene meritis dandae plebiscito lata sit necne. Ille putat hanc potestatem ei plebiscito datam esse, sed dubitat, utrum ante bellum an cum bellum gereretur, quia in ipsa acie ea sit usus[4]). Contra Reidius contendit Marium hoc fecisse suo arbitrio atque illud beneficium, quippe quod esset nulla lege concessum, ab hominibus quibusdam reprehensum esse (p. 13): „Marius enfranchised of his own motion, besides scattered individuals, two cohorts of allied troops, —, who had fought bravely under him against the Gauls. We know that his action was attached as illegal ...."[5]). Haec recta esse concedo neque minus recta ea, quae sequuntur: „That his omission to mention the statute cannot be explained by supposing him to have regarded it as a matter of course, the facts about Marius (which must have been within Cicero's own knowledge) clearly prove"; minime autem cum eo faciam, cum dicit: „.... and it is not recorded that even an ex post facto authorisation was given by the comitia. Cicero mentions in his speech for Balbus six commanders (exclusive of Cn. Pompeius), Marius among them, who had bestowed the citizenship on various persons and in no one instance does he mention that the proceeding was founded on a statute". Argumenta ex silentio ut aiunt semper infirmissima esse constat. Insuper contendam Mario et illis quattuor clarissimis ducibus, quorum Cicero facit mentionem

[1]) Cf. Reid p. 11: „In practice the formality of a law seems to have been often neglected."

[2]) De lege Gellia Cornelia cf. Gasquyum 32.

[3]) C. I. L. I^2, 155; s. a. 72 a. Chr. n.

[4]) Adhibenda sunt pro B. XX, 46; XXI, 47. Plut. Mar. 28. Agitur de civitate duabus Camertium cohortibus data.

[5]) Plut. Mar. 28 .. δοκοῦντος εἶναι τούτου παρανόμου καί τινων ἐγκαλούντων ...

(pro B. § 50), eandem ac Pompeio facultatem civitatis de consili sententia singillatim dandae ex senatus consulto concessam esse, id quod militibus nondum erat notum; huic opinioni fundamento esse mihi videntur illa verba Plutarchi: δοκοῦντος εἶναι τούτου παρανόμου. Praeterea his locis Ciceronianis (pro B. 46: Possumusne igitur tibi probare auctorem exempli atque facti illius, quod a te reprenditur, C. Marium? . . . . Potest igitur, iudices, L. Cornelius condemnari, ut non C. Mari factum condemnetur?) confirmari mihi videtur Marium eiusmodi ac Pompeium consulto usum civitatem donasse; nam aliter si res se habuisset, Cicero eum non auctorem facti Pompeiani appellasset mea quidem sententia. Quae cum ita sint, magis cum Mommseno faciam, qui haec scripsit (R. St. R. III[1], 135, adn. 5): „Marius muß sie vor oder während des Krieges gegeben worden sein, da er in ipsa acie davon Gebrauch machte.“

Sed redeamus ad id, unde excessimus. Vidimus, quemadmodum civitas data sit rei publicae temporibus aut universis populis aut singulis hominibus et quantopere ea in re paulatim sit variatum.

Nunc quaeramus, quomodo res se habuerit tum, cum aliquis civis Romanus in aliam civitatem transgredi vel transgressus in Romanam reverti in animo habebat, quae quaestio in disputanda causa Balbi non est omittenda, ut videamus, quae viae redeundi ei per se patuerint. Mommsenus quidem (R. St. R. III[1], 699) docet sententias de hac re paulatim esse variatas; sed rei publicae temporibus videmus hoc fere in usu fuisse, quod Cicero dixit ita (pro B. XI, 28): Duarum civitatum civis noster esse iure civili nemo potest[1]). Iterum XII, 29: sed nos non possumus et huius esse civitatis et cuiusvis praeterea[2]). XIII, 31: O iura praeclara atque divinitus iam inde a principio Romani nominis a maioribus nostris comparata, ne quis nostrum plus quam unius civitatis esse possit. Pro Caec. XXXIV, 100:

---

[1]) Karlowa R. R. G. I, 295: „Das römische Bürgerrecht war nach dem römischen ius civile mit dem eines jeden anderen Staats unverträglich“.

[2]) Mommsen R. St. R. III[1], 47: „Gleichzeitiges mehrfaches Bürgerrecht oder gleichzeitige Zugehörigkeit zu mehreren Gemeinden ist logisch wie praktisch unmöglich . . . .“. „Selbstverständlich findet dies Gesetz nur Anwendung bei einem in Rom anerkannten Gemeinderecht, also gegenüber den mit Rom in Vertrag stehenden und namentlich den föderierten Staaten.“

Cum ex nostro iure duarum civitatum nemo esse possit ..... Apud Graecos contrario more iidem homines complurium esse poterant civitatum. Pro B. XII, 30: Itaque in Graecis civitatibus videmus Athenienses, Rhodios, Lacedaemonios, ceteros undique adscribi multarumque esse eosdem homines civitatum. Pro Archia 5: Itaque hunc et Tarentini et Locrenses et Rhegini et Neapolitani civitate ..... donarunt. 10: Adscribi se in eam civitatem [sc. Heracleam] voluit idque .... impetravit. Haec ultima spectant ad Archiam, qui et civis complurium urbium Graecarum foederatarum et civis Romanus erat; per se esse non potuit, potuit esse autem secundum illam legem Plautiam Papiriam, quam anno a. Chr. n. 89 M. Plautius Silvanus et C. Papirius Carbo tribuni plebis tulerant, in qua dictum erat fore, ut civitas daretur „si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent, si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent et si sexaginta diebus apud praetorem essent professi".

Nemo, qui civis Romanus remanere voluit, aliam accepit civitatem[1]). Pro B. XII, 30: Peritus vero nostri moris ac iuris nemo unquam, qui hanc civitatem retinere vellet, in aliam se civitatem dicavit. Eodem modo saepius in oratione Balbiana M. Tullius explanavit civitatem Romanam amitti, cum aliquis in aliam transgrederetur (cf. pro B. 30; pro Caec. 100). Nonnulli errore ducti in civitatem Atheniensium se dicaverunt. Pro B. XII, 30: Quo errore ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines, nostros cives, Athenis in numero iudicum atque Areopagitarum, certa tribu, certo numero, cum ignorarent, si illam civitatem essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postliminio[2]) reciperassent. Qua de causa Atticus, cum hoc non ignoraret, civitatem Atheniensium ne acciperet recusavit, id quod Nepos tradidit (Att. c. 3): Quo beneficio ille uti noluit, quod nonnulli interpretantur amitti civitatem Romanam alia adscita[3]). Recte Mommsenus adnotat (R. St. R. III[1], 48, adn. 1) hoc non pro

[1]) Mommsen R. St. R. III[1], 699: „Durch die ganze republikanische Zeit steht die Regel fest, daß kein peritus nostri moris, wie Cicero sagt, wenn er römischer Bürger bleiben will, das Bürgerrecht von Athen annimmt".

[2]) v. infra.

[3]) *adsciscere* hac in re est artis vocabulum; cf. Liv. VI, 40, 4: .... ex quo .... adsciti sumus simul in civitatem. pro Arch. IV, 6: *adscribi* idem valet.

glossemate habendum esse, sed significare: „weil manche Juristen meinen, daß also durch Annahme eines anderen Bürgerrechts das römische verloren gehe". Nepos spectat igitur ad illam iuris peritorum de hac re controversiam. „Er stellt also als bestritten hin, was Cicero positiv behauptet." Hoc ex loco Nepotis videmus, qualis fuerit illa aetate huius negotii status et quantopere viri docti inter se discrepaverint. Mommsenus, qui demonstrat, quemadmodum sententiae postea sint mutatae, adnotat (R. St. R. III[1], 699): „Indes schon hier bemerkt man, daß sie wenigstens praktisch ins Schwanken gekommen war, und in der Tat wird sie bald darauf von Nepos als juristisch controvers bezeichnet."

Nemo ullis cogi potuit legibus, ut invitus in civitate remaneret vel ex ea exiret. Hoc Cicero in animo habuit, cum scripsit (pro B. XI, 27): Iure enim nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest neque, si velit, mutare non potest, modo adsciscatur ab ea civitate, cuius esse se civitatis velit[1]): ut, si Gaditani sciverint nominatim de aliquo cive Romano, ut sit is civis Gaditanus, magna potestas sit nostro civi mutandae civitatis, nec foedere impediatur, quominus ex civi Romano civis Gaditanus possit esse. Cf. de dom. 77: Cum hoc iuris a maioribus proditum sit, ut nemo civis Romanus aut libertatem aut civitatem possit amittere nisi ipse auctor factus sit. Ut civis Romanus libertatem nemo possit invitus amittere. 78: Civitatem vero nemo unquam ullo populi iussu amittet invitus.

Balbus igitur per se, si voluisset, potuisset civitate Romana se abdicare; leges non obstitissent.

Quaerentibus nobis, quomodo hic in aliam civitatem transgressus factus sit, Cicero in orationis suae praebet responsum § 28: Neque solum dicatione .... sed etiam postliminio potest

---

[1]) Gasquy p. 57: „sed auctor non esse potest civi suo, ut civitatem sive volens sive invitus mutet, praesertim cum nihil in foederibus exceptum sit"; p. 38: „nemo invitus civitate mutatur, nemo in civitate manet invitus". Cf. praecipue p. 38, adn. 4, ubi complures de hac re attulit locos; p. 64: „Nemo, etiam cum universae gentes in civitatem recipiuntur, cogitur civitate mutari, si nolit; at si qui contra populi Romani beneficium civitatem sunt consecuti, etiam cum neque toti eorum genti oblata est neque fundus is populus factus est, violatum foedus nullo modo videtur."

civitatis fieri mutatio; et in § 29: Quod si civi Romano licet esse Gaditanum sive exsilio sive postliminio sive reiectione huius civitatis.

Sed priusquam haec disceptanda sunt, praevium est quaerere, num is, qui, postquam civitate Romana se abdicavit, a populo alieno non est acceptus, amittat civitatem Romanam necne. Cicero docet eam non amitti pro Caec. 98: Si non accipiunt, —, retinet integram causam et ius civitatis. Hoc etsi minus ad causam Balbi spectat, tamen non est neglegendum. Sed accedamus ad ipsam eam quaestionem, e qua satis disceptata discere nobis licebit, quemadmodum Balbus civitatem Romanam deponere potuerit. Ac primum quidem agamus de vocabulo dicationis, quod derivatum est de verbo dicare (cf. Non. Marc. ed Lindsay II, 444: dicare = tradere). Hoc artis vocabulum in usu fuisse videtur ratione habita iuris civilis. Secundum Klotzium id est „ein förmliches Zusagen, Zusprechen, und so wird es hier vorzugsweise von einer besonderen Art, sich in ein anderes Bürgertum zu begeben, die durch eine förmliche öffentliche Willenserklärung geschah, durch welche man sich zu einem Staate von fortan bekannte, gebraucht“ (III, 1053). Quam dicationem Cicero (pro B. XI, 28) docet sex viris clarissimis in calamitate[1]) accidisse (de illis viris cf. Reidium pgg. 70/71 Klotzium III, 1053).

Vocem reiectionis Reidius ita interpretatur (p. 73): „Reiectione i. e. by actual enrolement as citizen in an other city, which is not implied in exsilium.“ Eadem est sententia Klotzii (III, 1054): „Reiectio soll das freiwillige Aufgeben andeuten, was, wenn jemand verbannt ward, nicht der Fall sein konnte.“ Reiectio igitur erat magis voluntaria quam dicatio, quam aliquis ut profiteretur calamitate quadam cogi solebat.

Iam dicendum est de exsilio[2]), quod Cicero in oratione sua pro A. Caecina habita ita definit quae verba omnia exscribere mihi liceat, quia clarior huius vocabuli nobis non praesto est explicatio (XXXIV, 100): Nam quod ad exsilium attinet, perspicue intellegi potest, quale sit. Exsilium enim non suppli-

---

[1]) Calamitas est euphemismus, ut ita dicam (cf. Reidium p. 70); „Verlust einer bürgerlichen Stellung in moralischer und staatsrechtlicher Beziehung“ (Richter - Eberhard - Nohl „Ciceros Rede für den Dichter Archias“ adn. ad p. 17); ad vocem calamitatis cf. orr. pro B. XXVIII, 65. pro Arch. V, 9.

[2]) Gasquy 39/40. Reid p. 73 s. l. 9.

cium est, sed perfugium portusque supplicii. Nam qui volunt poenam aliquam subterfugere aut calamitatem, eo „solum" vertunt, hoc est sedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud ceteras civitates, maleficium ullum exsilio esse multatum; sed cum homines vincula neces ignominiasque vitant, quae sunt legibus constitutae, confugiunt quasi ad aram in exsilium. Qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem quam vitam amitterent; quia nolunt, non adimitur iis civitas, sed ab iis relinquitur atque deponitur[1]). Nam, cum ex nostro iure duarum civitatum nemo esse possit, tum amittitur haec civitas denique, cum is, qui profugit, receptus est in exsilium, hoc est in aliam civitatem[2]). Cicero igitur docet exsilium voluntariam renuntiationem, ut ita dicam, fuisse eamque ortam ex timore periculi; tum demum civitatem amitti, cum in aliam is, qui in exsilium ire velit, sit receptus. Apud alias civitates pro poena habebatur, non apud Romanos rei publicae temporibus[3]); erat potius id, quod Graecis est *ἄσυλον*. Hanc opinionem rectam esse confirmant verba Ciceronis „confugiunt quasi ad aram".

Exsules se conferebant aqua et igni interdicti praecipue in urbes in Latio sitas (Liv. II, 2; III, 29. 58; V, 43; XLIII, 2), quarum incolae cum Romanis foedere coniuncti erant et iure asyli, quod ab utraque civitate comprobatum erat, quod etiam in coloniis florebat Latinis (Cic. pro Caec. 98. pro B. 27). Posterioribus temporibus exsules etiam in alias urbes se conferebant (Lic. XXVI, 3. Cic. pro B. 28); dico Tarquinios, Nuceriam, Ravennam, alias. Post bellum civile, cum omnibus urbibus Italorum civitas data esset Romana, ire solebant etiam in urbes extra Italiam sitas, praecipue in Gallia, Graecia, Asia (pro Mur. 89). De exsilio egit Kleinfeller, R. E. VI², 1683—1685.

Postremo de postliminio verba faciamus; hoc vocabulum a Cicerone ita definitur (Top. VIII, 36—37): Cum ipsius postliminii vis quaeritur, et verbum ipsum notatur. In quo Servius noster,

---

[1]) Cf. Gasquyum p. 39.

[2]) Ex initio huius loci Ciceroniani discimus hic quoque calamitatem pro damnatione intellegi.

[3]) Mommsen R. St. R. III¹, 51, adn. 3.

Imperatorum demum aetate exsilium pro poena adhibitum esse videmus ex loco Marciani (Dig. XLVIII, 22, 5): Exsilium triplex est: aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, ut omnium locorum interdicatur praeter certum locum, aut insulae vinculum, id est relegatio in insulam.

ut opinor, nihil putat esse notandum nisi „post“: et „liminium“ illud productionem esse verbi vult, ut in finitimo legitimo aeditimo non plus inesse timum quam in meditullio tullium; Scaevola autem P. F. iunctum putat esse verbum, ut sit in eo et „post“ et „limen“: ut quae a nobis alienata, cum ad hostem pervenerint, ex suo tamquam limine exierint, hinc ea cum redierint post ad idem limen, postliminio redisse videantur. Quam rationem Scaevolae quis dubitabit cum Cicerone accipere, loco Iustiniani[1]) allato, cuius testimonio confirmatur sine dubio Scaevolae definitionem esse rectam. Eundem fere in modum ac Iustinianum Scaevolamque videmus hoc verbum definire Paulum (Dig. IL, 15, 19, 1): Postliminium est ius amissae rei recipiendae ab extraneo et in statum pristinum restituendae inter nos ac liberos populos regesque moribus legibus constitutum. Ac postea (3): Postliminio redisse videtur, cum in fines nostros intraverit, sicuti amittitur, ubi fines nostros excessit. Sed et si in civitatem sociam amicamve aut ad regem socium vel amicum venerit, statim postliminio redisse videtur, quia ibi primum nomine publico tutus esse incipiat.

Quomodo Cicero hoc vocabulum intellexerit, recte Reinius[2]) dicit his verbis: „Cicero pro Balbo XI, 12 braucht postliminium, abgesehen von der juristischen Bedeutung, ganz allgemein für die Rückkehr in die Heimat und in die alten Verhältnisse. Er sagt nämlich, nach römischem Gesetze dürfe niemand Bürger von zwei Städten sein, sondern, indem man sich die Civität in einer anderen Stadt erwerbe, verliere man dieselbe in der Heimat, doch nicht auf ewig, denn wenn man zurückkehre und das neulich erworbene Recht dadurch aufgebe, erhalte man das alte wieder, was gleichsam postliminium sei.“ Vir doctus hoc vocabulum ita ac Scaevola interpretatur: „Das Wort postliminium ist aus post und limen entstanden und heißt also Akt der Rückkehr, denn limen, Schwelle des Hauses, heißt hier Schwelle des Landes, die Grenze der Heimat, postliminium also das Zurückkommen innerhalb der heimischen Schwelle.“

Vidimus iuris peritorum illorum temporum inter se distare sententias de hac quaestione ratione habita civitatum foederata-

---

[1]) Inst. II, 12, 4 (C. I. C. I, p. 19): Eius, qui apud hostes est, testamentum, quod ibi fecit, non valet, quamvis redierit: sed quod, dum in civitate fuerat, fecit, sive redierit, valet iure postliminii .....

[2]) „Das Privatrecht etc.“ p. 306—309; impr. 306, 1.

rum; atque est haec quaestio disceptanda, quoniam Gades, patria Balbi, civitas essent foederata. Pristini, pro quibus loquitur Aelius Gallus, docent (cf. Festum s. v. postliminii): cum populis liberis et cum foederatis et cum regibus postliminium nobis est ita uti cum hostibus; quae nationes in dicione sunt, cum his [postliminium nullum est], qua ex sententia intellegimus eum censuisse postliminium non valere nisi inter duas civitates eiusdem iuris. Contra autem docuit Proculus (Dig. III, 15, 7), qui posterorum obtinet partes: Non dubito, quin [Codd., quamvis Mommsen] foederati et liberi nobis externi sint nec inter nos atque eos postliminium esse: etenim quid inter nos atque eos postliminio opus est, cum et illi apud nos et libertatem suam et dominium rerum suarum aeque atque apud se retineant et eadem nobis apud eos contingant?

Quomodo res se habet, cum ad Gades spectamus? Cum Gaditanis postliminium fuisse mea quidem sententia concludi potest ex initio capitis XII or. Balb., in qua doctrina Cicero sequitur Aelium Gallum.

De Balbo — ut tandem aliquando ad eum revertamur — comprehendamus ea, quae dicenda sunt. Vidimus in foedere Gaditano nihil exceptum fuisse, ne quis Gaditanus civis fieret Romanus; nihil Balbo obstabat, quominus acciperet illum honorem. Etsi quicquam obstitisset, hoc deletum esset illa lege Gellia Cornelia, qua Pompeio potestas data est civitatis donandae. Supra demonstravi saepe incertas fuisse virorum iuris peritorum sententias, num opus esset concedere populum foederatum, ut civis suus fieret Romanus civis; atque Gaditani, si non statim, attamen postea cum causa Balbi ageretur, comprobaverunt eum secundum leges civem factum esse Romanum, comprobarunt legatione, testimonio, voluntate, auctoritate (cf. pro B. XVIII, 41—42); non eis invitis civitatem accepit Romanam. Sine dubio Balbus non cupivit illam deponere ac reverti in Gaditanam; quomodo id licuisset ei, ut percognosceremus, opus erat, ut illos tres modos tractaremus civitatis pristinae recuperandae, quorum nullum Balbum adhibuisse demonstrari mihi videtur cum ea re, quam infra afferam, tum eis, quae Balbo contigerunt, non voluntariam illam reiectionem, non dicationem, ut supplicium imminens subterfugeret, non postliminium, quod facillimum fuisset, siquidem Gades civitas socia essent, cum non ignoraret civitatem Romanam amitti, cum rediret, et duarum civitatum secundum

ius civile se esse non posse civem; de hac re supra iam egi. Sua sponte civis Romanus manebat, nullis coactus legibus. Sed quonam vinculo cum eis etiam post illud tempus coniunctus erat, quo civis Romanus factus erat?

Cicero de hac re certiores nos facit: hospitium fuit illud vinculum. Pro B. XVIII, 41: Hospitium multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Gaditanos fuisse publice dico.

42: Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri, quoniam hoc magno opere delectaris verbo, si tum fit fundus, cum scita ac iussa nostra sua sententia comprobat, quam cum hospitium fecit, ut et civitate illum mutatum esse fateretur et huius civitatis honore dignissimum iudicaret.

XIX, 43: Itaque et adsunt principes civitatis et defendunt amore ut suum civem, testimonio ut nostrum, officio ut ex nobilissimo civi sanctissimum hospitem, studio ut diligentissimum defensorem commodorum suorum.

Karlowa (R. R. G. I, 287) de hospitio profert haec: „Dasselbe [sc. hospitium] kann nicht nur unter Privatleuten[1]), welche verschiedenen selbständigen Staaten angehören, sondern auch zwischen den Staaten selbst[2]) oder zwischen einem Staat und einzelnen Angehörigen eines anderen Staates[3]) abgeschlossen werden.“ (Cf. praeterea p. 288.)

Exemplis infra a me adscriptis comprobari videmus hospitium non posse fieri cum quovis homine sed cum eo, qui non eius civitatis est civis, ex qua ille, qui hospitium facit, est natus, quae res iterum testatur Balbum non iam Gaditanum fuisse, sed Romanum, et id secundum suum et suorum voluntatem.

---

[1]) Liv. I, 45, 2: Eum consensum deosque consociatos laudare mire Servius inter proceres Latinorum, cum quibus publice privatimque hospitia amicitiasque de industria iunxerat.

[2]) Liv. V, 50, 1—3: Omnium primum — rettulit et senatus consultum facit, — cum Caeritibus hospitium publice fieret.

[3]) Liv. V, 28, 5: Hospitium cum eo senatus consulto est factum.

Caput III.

Nonnulla de arte rhetorica orationis Balbianae additamenta selecta.

Hoc capite disserendum est de dicendi arte, qua Cicero Balbianam excoluit. Adiungitur hoc caput ei, quod praecedit, quo capite disserui de causa Balbi, quoad pertinet ad ius civile, ita ut Balbianae illustrentur et res et verba.

§ 1.

Sine dubio causa Balbiana addicenda est generi honesto[1]); nam ex Ciceronis sententia aliorumque, qui eum loquentem audiebant, Balbus, Caesaris Pompeique amicissimus, erat dignissimus (II, 5), qui defenderetur, et accusator, cui omni modo oppugnaretur.

Dispositionem ostendere studuit Hocheus p. 10—16. Is quattuor partes statuit, easdem, quae commemorantur in part. or. I, 4 et top. 26, 97 sqq, scilicet: principium, narratio, confirmatio, peroratio. Cf. de inv. I, 14, 19; de or. I, 31, 143; II, 76, 307. Auct. I, 3, 4.

Recte discripsit exordium (I—II, 4), non plane recte narrationem, cui adiungit propositionem (II, 5 — III, 7); nam divisionem Cicero affert demum in § 17, propositionem VIII, 19. Ego quoque complectar narrationem et propositionem, sed pertinentem eam partem faciam usque ad VIII, 19, tum demum incipiunt argumenta pro reo et contra accusatorem, quae Cicero mixta praebet. Praeterea puto Hocheo dicendum fuisse §§ 9—16 paene pro digressione habendas esse; nam etsi in §§ 10, 11, 14 causam Balbi significat, tamen plerumque hoc loco Pompei praedicat virtutes, id quod minus ad ipsam causam spectat.

Quod vero Hocheus perorationem iam incipientem facit inde a § 56, iterum errat; nam videmus argumenta pertinere usque ad § 58 vel 59. Inde a § 60 incipit peroratio. Ego hanc proponam dispositionem:

---

[1]) Auct. ad Her. I, 3, 5: Honestum causae — oppugnari debere. De inv. I, 15, 20: Honestum causae — auditoris animus. Quint. I. O. IV, 1, 40. Thiele 114.

Prooemium I, 1 — II, 4.
Narratio
Partitio } II, 5 — VIII, 19.
Propositio
(Digressio IV, 9 — VI, 16.)
Confirmatio } VIII, 20 — XXVI, 59.
Refutatio
Peroratio XXVII, 60 — XXVIII, 65.

Atque recte nos disposuisse ut appareat, liceat iam quomodo in singulis adornandis versatus sit Cicero paucis exponere.

I. Exordium.

Rohde 9—26. Preiswerk 7—24. De inv. I, 15, 20; de or. II, 19, 80; or. 35, 122; top. 26, 97; part. or. 8, 28. Auct. I, 3, 4; 4, 6.

Cicero, cum de suis factis sine arrogantia loquitur (cf. de inv. I, 16, 22) pro B. I, 1 (quae sunt — voluntati paris) benevolentiam a sua comparat persona; ab ipsa causa, cum dicit ab amplissimis, peritissimis, eloquentissimis viris causam Balbi defensam esse (Rohde 11. 22). Postquam laudes Pompei et Crassi defensorum exposuit, dicit propter ipsas illorum virtutes perorandi extremum locum sibi difficiliorem esse. Haec referri possunt ad Ciceronis verba de inv. I, 16, 22: ab nostra persona benevolentia capitur — si, quae instent difficultates, proferemus.

Verba facit de causa, de iudicibus, de patronis, de oratore, de reo (cf. Preiswerk p. 9—10).

II. Narratio, propositio, partitio.

Rohde 26—35. Preiswerk 25—34. De inv. I, 19, 27; 20, 28; de or. II, 19, 80. part. or. 9, 31. Auct. I, 9, 4; 3, 4; 9, 14—16. de partitione: de inv. I, 22, 31; 10, 17. Auct. I, 3, 4.

Copiosiorem expositionem non adhibuit, quia Pompeius et Crassus eam iam explanaverant, quae repetere longum erat. Cic. de inv. I, 21, 30. Rohde 31. Preiswerk 31. Eo loco, quem supra digressionem appellavi, dico §§ IV, 9 — VI, 16, Cicero laudibus Pompei quasi effusis causae Balbi maiorem auctoritatem afferre in animo habet. Rohde 33. Cf. Preiswerk p. 94—96.

Quid cum adversario conveniat et quid in controversia relinquatur, exponit Cicero VIII, 19 Donatum esse — civitatem venire. (Cf. III, 8 nunc vero — non licuerit). Rohde 36.

Saepius narratio querelis (8, 15 s. f.), adhortationibus (19), vitae Balbianae descriptione (6), allocutionibus (8, 10, 11, 13, 15, 17—19), exemplis pro argumentis adhibitis (11) interrumpitur. De hac re: Preiswerk 30. 31. cf. part. or. 9, 32.

Sed refellenda mihi esse videtur Rohdei sententia, qui contendit Ciceronem in oratione Balbiana omnino omisisse narrationem, quia verisimile esset eos, qui antea essent locuti, satis iam rem narravisse (31). Sed paragraphis 5 sqq. attente perlectis nemo dubitabit, quin Cicero quamvis breviter narret tertius patronus et argumentatione iam admixta. Itaque non prorsus narratoris officio se abdicavit.

Cicero dicit se de lege, foedere, exemplis, perpetua consuetudine civitatis esse dicturum (VII, 17); cf. de inv. I, 22, 31 (altera est — ponitur distributa). Leges, testimonia etc. secundum Aristotelis doctrinam probationibus inartificialibus addicenda sunt: Rhet. I, 2, 1355b, 35 sqq. *ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δὶ ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν, οἶον μάρτυρες ... συγγραφαὶ* ... Haec omnia igitur praesto sunt, non demum ab oratore investiganda.

III. Confirmatio et refutatio.

Rohde 40 sqq. Preiswerk 35 sqq. Cf. Auct. I, 3, 4; 10, 18 sqq. 15. De inv. I, 24, 35; 29, 44; 42, 78.

Ac primum quidem testimonia (cf. de or. II, 27, 116) adhibuit pro B. XX, 45 — XXI, 49, exemplum XVIII, 41, ubi cum Marii tum Gaditanorum utitur testimoniis, quibus demonstret Balbum secundum leges civitate Romana donatum esse. Ut augeat auctoritatem exempli, virtutes illius excellentissimi clarissimique auctoris praedicat. Rohde 43; cf. § 41.

De exemplis, quod genus hic saepiusque in oratione habemus, cf. Auct. IV, 49, 82 Exemplum est — quibus similitudo. De similitudine cf. Auct. IV, 48, 59: similitudo est — ante oculos ponendi. — 47, 60; 48, 61. Quint. V, 11, 1 sqq.

In §§ 21 sqq. agit Cicero de iure civitatis; quibus dictis studet demonstrare, quomodo illud ab aliarum civitatum iure discrepet. Recte Preiswerkius adnotat (54) in §§ 27—31 illum certam et sibi constantem praebere doctrinam. Quod exsulum et causae Menandri fit mentio (28), id in communia accipiendum est argumenta (Preiswerk 55). Nam id commune esse, quod homines

vulgo probarunt et secuti sunt, docet M. Tullius de inv. I, 30, 48 med. Habemus autem his in paragraphis contentionem (de contentione cf. Auct. IV, 18, 23[1]).

Inter argumenta considerantur leges (§ XXI); cf. ea, quae supra de hac re dixi.

Argumentum ex re iudicata habemus, cum XXI, 49 iudicium Mari commemoratur, quo ille Spoletinum hominem, quem civem fecerat Romanum, ob eam rem accusatum defenderat causamque probaverat. Rohde 47. De inv. I, 30, 48 (iudicatum est res adsensione aut auctoritate aut iudicio alicuius aut aliquorum comprobata).

Ex re ipsa sumit argumenta ad iudicum animos commovendos §§ 39 sqq., ubi Gaditanos optime de re publica meritos laudat ac dicit, quantopere et quamdiu cum Romanis sint coniuncti. Est argumentum ex patria. Pro argumento ex cognatione habendus est hic locus III, 6: .... honestissimo loco natum esse. De inv. I, 24, 35 docet Cicero sumenda esse testimonia etiam ex victu, ut ita dicam; consideratur, quibus amicis utatur. Haec invenimus in § 58; cf. § 63.

Ex habitu (cf. de inv. I, 25, 36) testimònia sunt, cum II, 6 pietatem in rem publicam, laborem, assiduitatem, virtutem Balbi laudat M. Tullius, argumentum ex factis habemus, cum § 58 illius beneficia in se collata commemorat. Recte Rohdeus monet (54) saepe cum laude virtutum scientiae laudem coniunctam esse. Cf. IV, 9 — VI, 15 (de Cn. Pompeio).

Inter res negotio adiunctas (de inv. I, 28, 41 sqq.; de or. II, 39, 163 — 40, 172; top. 2, 8 — 18, 71; part. or. II, 7) primus locus est definitionis (de inv. I, 28, 43: primum, quod factum est, quo id nomine appellari conveniat); top. 2, 9; 5,26 sqq; de or. II, 40, 164; part. or. 2, 7. Rohde 65 sqq. Alteri generi definitionum — earum rerum, quae intelleguntur (top. 5, 26) — addicenda sunt haec exempla, quibus Cicero ea, quae dixit, fulcire studet: XIV, 33 de vocabulo sacrosancti et XVI, 36 de vocabulo comis[2]).

---

[1]) Eximium exemplum contentionis habemus etiam in §§ 11—12, ubi, id quod Preiswerkius recte adnotat (114, 119), conclusio conclusioni, exemplum exemplo respondet.

[2]) Cf. Rohde 154. Cic. de inv. II, 17, 53 (de constitutione definitiva).

Argumentum ex collatione (top. 10, 43) exstat pro B. XII, 29: quodsi civi Romano licet esse Gaditanum, ... quid est, quam ob rem civi Gaditano in hanc civitatem venire non liceat?

Iam supra dixi saepissime Ciceronem in orationibus usum esse exemplis (top. 10, 44; de inv. I, 30, 40); in oratione Balbiana his locis: XI, 28; XVI, 36; XX, 45 sqq.; XXII, 50 sqq.; XXIII, 53; XXIV, 55.

Cicero (de or. II, 40, 169) haec profert: atque in utroque genere et similitudinis et dissimilitudinis exempla sunt ex aliorum factis aut dictis aut eventis ..... Hoc occurrit ex dissimili exemplo argumentum pro B. V, 11; Cicero ibi iratum se praebet, quod decretum Pompei recognoscitur ac confertur cum legibus, atque affert exemplum Metelli, qui cum causam de repetundis diceret et tabulae circumferrentur, nemo fuit iudex quin removeret oculos et se totum averteret.

Deinde habemus argumenta ex negantibus (top. 12, 49; de inv. I, 28, 42) pro B. XIV, 32: (quodsi exceptio — ibi necesse est licere); identidem XX, 45, ubi quaerit, num possit L. Cornelius condemnari, ut non C. Mari factum condemnetur. Illud prius exemplum potest referri etiam ad argumenta ex minore. Rohde 100.

Simplicem conclusionem habemus e. g. pro B. XII, 29, quod exemplum etiam in argumenta ex antecedentibus (top. 12, 53) posse recipi recte contendit Rohde (98).

Argumentum ex minore — hoc est argumentum ex antecedentibus Rohde (100 v. 88) — habemus coniunctum cum argumento ex contrario „ita, ut concluiso fiat ab eo, quod antecedit, ad id, quod sequitur" (Rohde 100) pro B. XIV, 32.

Argumentum ex repugnantibus (top. XII, 53) exstat pro B. V, 13: hunc quisquam — dicere audebit? — Hic quoque conclusio fit a minore ad maius: pro B. V, 12: Cum Graeci — dubitabimus? VI, 14: Id igitur quisquam — .... se scire profiteantur; 16 Cuius igitur — voce laedetur; XXIII, 54: An lingua — et virtute non potuit.

„Plurimis autem locis ex rebus, quae eventurae sunt, argumenta sumuntur" Rohde 115/6. Cf. pro B. IX, 22: atqui, si carendum nobis erit; XVIII, 41: Quodsi Afris — esse arbitrabuntur.

De reprehensione[1]) cf. de inv. I, 42, 78; 79 — 51, 96; part. or. 12, 44. „Plerumque Cicero satis habet ea, quae ab adversariis proferuntur, tantummodo negare“ Rohde 122. pro B. VI, 14; VIII, 19—20; XI, 27; XIII, 30 s. f; XIV, 32—33; XVI, 36—37; XXIV, 54 s. f; XXV, 56—57.

Quod autem pro signo sumetur, id ex isdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur (de inv. I, 43, 81). Huc spectant illa Ciceronis pro B. XXV, 56—57; quibus verbis refellere studet accusatorem, qui Balbum hominem esse contendit minime puri animi atque honesti minimeque secundum leges in civitatem Romanam irrepsisse.

Genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur; cf. de inv. I, 42, 79. Huc referendi sunt fortasse hi loci orationis Balbianae §§ 20 med.; 37; 25; 27; 32/33.

Cicero docet simplicem conclusionem reprehendi, si hoc, quod sequitur, non videatur necessario cum eo, quod antecessit, cohaerere, de inv. I, 42, 79. Recte Rohdeus adnotat (127) huc omnia exempla referri posse supra commemorata. „Nam omnibus illis locis ostenditur ex iis rebus, quae ab adversariis ad probandum sumptae sint, sive credibilia sive signa sive iudicata sunt, non necesse esse ea concludi, quae adversarii concluserunt.“

IV. Conclusio.

Rohde 131—144. Preiswerk 14—24. Cic. de inv. I, 52, 98. Auct. I, 3, 4; II, 30, 47. Quint. I. O. VI, 1—2.

Conclusionis sunt hae partes: enumeratio, amplificatio (indignatio), conquestio (commiseratio). In orationis Balbianae conclusione Cicero verba facit de oratore, reo, adversario, causa, iudicibus; recte Preiswerkius monet (14) „quae perorationes praebent similiter compositas atque exordia“.

Enumerationem habemus in § 64, ubi cetera argumenta Cicero omittit atque „eos tantum viros enumerat, quorum auctoritate in argumentatione nisus erat“. Rohde 134. Auxiliorum vice funguntur amicissimi nobiles: Pompeius § 59 s. f. Caesar §§ 63/4. De sua ipsius auctoritate loquitur in § 60; de se in §§ 60/62. De reo verba facit §§ 63/5, de adversario §§ 59 s. f. 60, de causa §§ 64/5, iisdem in paragraphis, identidem § 60 iudices alloquitur.

---

[1]) Rohde 121—131.

Altera pars perorationis est indignatio (de inv. I, 53, 100). Primus locus sumitur ab auctocitate, cum commemoramus, quantae curae res ea fuerit iis, quorum auctoritas gravissima debeat esse (de inv. I, 53, 101.) Huc spectant §§ 59 s. f. 63/64 (commemorantur Caesar et Pompeius). — Secundus locus est, per quem illa res, ad quos pertineat, cum amplificatione ostenditur, aut ad omnes aut ad maiorem partem aut ad superiores, quales sunt ii, quorum ex auctoritate indignatio sumitur — de hac re cf. §§ 64 sqq.; ad verba: deinde senatum — iudices, qui adprobarunt cf. de inv. I, 53, 101: hominibus sapientissimis, senatui, populo. — Tertius locus est, per quem quaerimus, quidnam mali sit eventurum[1]): .... ex quo, quid mali sit eventurum, demonstrabimus. Cf. pro B. § 65 s. f.: accedit etiam illud — ornamento esse malitis.

Conquestio est oratio auditorum misericordiam captans (de inv. I, 55, 106). Primus locus est misericordiae, per quem, quibus in bonis fuerint et nunc quibus in malis sint, ostenditur (l. c. 107). Cf. pro B. §§ 59 med. 63/4. Cf. part. or. 17, 57.

Laudat merita Balbi § 63; ea, quibus ille se affecerit, sicut iam supra dixi, § 59, qua paragrapho transit a confirmatione ac refutatione ad conclusionem; quasi utrique parti addici potest haec paragraphus.

Cf. Rohde 140/1.

Quartus decimus, qui per obsecrationem sumitur; in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili et supplici oratione, ut misereantur (de inv. I, 56, 109). Cf. pro B. § 62: Sed si certorum — vestra esse placatos; § 64: .... nolite, per deos immortalis, iudices, — de publico iure disceptat.

Sed haec iam satis de inventione.

§ 2.

De tropis et figuris.

Ornamenta oratoriae elocutionis, quoniam in tropis et figuris planissime perspiciuntur, de his nunc paucis disserendum esse mihi videtur.

---

[1]) Recte Rohde monet 136, adn. 1: „Hic est locus ex eventu, qui etiam in argumentatione adhibetur“.

Quomodo differant tropi a figuris, docet Quintilianus I. O. IX, 1, 4: Est igitur tropus sermo a naturali et principali significatione translatus ad aliam ornandae orationis gratia, vel, ut plerique grammatici finiunt, dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est: figura, sicut nomine ipso patet, conformatio quaedam orationis remota a communi et primum se offerente ratione.

De tropo cf. I. O. VIII, 6, 1. De figura IX, 1, 17. 2. 3.

A. Tropi[1]).

1. Μεταφορά sive translatio:

Quint. I. O. VIII, 6, 4—5; Auct. IV, 34, 45.

§ 4; 9: etenim ei succedo orationi, quae non praetervecta sit aures vestras, sed in animos omnium penitus insederit.

Similia: § 5; 25. § 11; 9. § 13; 3. 10. § 15; 8. § 16; 11—12. 13. 17. 18. § 20; 15—16. § 22; 7—8. § 24; 22. § 29; 9—10. § 31; 11—12. 14—15. § 34; 6. 7. § 35; 23. § 40; 19—20. § 43; 1. 4. § 45; 4—5. § 56; 17. 18—19. 20—21. § 57; 9—10. § 58; 18—20. § 60; 5—6; 8—9. § 64; 25.

2. Μετωνυμία (ὑπαλλαγή) sive denominatio:

Quint. I. O. VIII, 6, 23. Auct. IV, 32, 43.

§ 34; 5—6: cum praepotens terra marique Carthago . . . . huic imperio immineret.

Simile: § 29; 14—15.

3. Ἀντονομασία sive pronominatio:

Quint. I. O. VIII, 6, 29. Auct. IV, 31, 42.

§ 31; 15: princeps ille creator huius urbis.

Similia: § 51; 3. § 58; 14—15. § 59; 25—26. § 63, 11.

4. Ἀλληγορία sive inversio (permutatio)[2]):

Quint. I. O. VIII, 6, 44; 51. Auct. IV, 34, 46.

§ 61; 29—30: . . . sententiam tamquam aliquod navigium atque cursum ex rei publicae tempestate moderari.

Simile: § 61; 21.

5. Εἰρωνεία sive illusio.

Quint. I. O. VIII, 6, 54; 55; 58. Cf. IX, 2, 44 sqq.

---

[1]) In eis, quae sequuntur, solum paragraphos adscripsi versusque editionis Oxoniensis numeris significatos (e. g. § 4; 9 = i. e. § 4 v. 9.).

[2]) Tiberius in libro suo περὶ σχημάτων (Rh. Gr. III, 70 Sp.) inversionem addit figuris.

§ 20; 5—7: O praeclarum interpretem iuris, auctorem anti quitatis, correctorem atque emendatorem nostrae civitatis .....
Similia: § 25; 1. § 27; 7.

a) Λιτότης (ἀντίφρασις)[1]:
§ 6; 12: id accusator non negat.
Similia: § 60; 13—14. § 61; 28—29.

c) Περίφρασις sive circumlocutio:
Quint. I. O. VIII, 6, 59; 61. Auct. IV, 32, 43[3]).
§ 15; 6—7: est enim haec saeculi quaedam macula atque labes.
Similia: § 36; 7—8. § 39; 9—10.

6. Ὑπερβολή sive superlatio[4]):
Quint. I. O. VIII, 6, 67; 73; 74; 76. Auct. IV, 33, 44.
§ 13; 2—4: O Cn. Pompei sic late longeque diffusa laus, ut eius gloriae domicilium communis imperi finibus terminetur.
Similia: § 17; 27—28. § 39; 13—14. § 64; 20—21.

7. Ὑπέρβατον sive verbi transgressio:
Quint. I. O. VIII, 6, 62. 64. Auct. IV, 32, 44.
§ 49; 28—29: Sit hoc discrimen inter gratiosos civis atque fortis .....
Similia: § 35; 31. § 40; 19. § 52; 12. § 58; 18; § 60 4. § 63; 15, 16. § 64; 25. § 65; 12.

B. Figurae:

a) Figurae verborum. Quint. I. O. IX, 3, 1—2.

1. Ἀναδίπλωσις (παλιλλογία) sive conduplicatio:
Quint. I. O. IX, 3, 28. Acut. IV, 28, 38.
§ 11; 8: ille, ille vir.

2. Ἀναφορά sive repetitio:
Quint. I. O. IX, 3, 29; 30; Auct. IV, 13, 19.
§ 2; 12—14: Quae fuerit hesterno die Cn. Pompei gravitas in dicendo, iudices, quae facultas, quae copia .....

---

[1]) Ἀντεναντίωσις Alexander Rh. Gr. III, 37 Sp.
[2]) Volkmann „Rhetorik etc." (Handb. d. kl. A. W. II, 3[2], p. 41).
[3]) Hic praebet circumitionem.
[4]) Decens veri superiectio: Quint. J. O. VIII, 6, 67.

Similia: § 1; 1 sqq. § 4; 15. § 5; 18 sqq. 24 sqq. § 6; 21. § 9; 22. 23 sqq. § 17; 22 sqq. § 18; 7. § 19; 21 sqq. § 21; 19—20. § 22; 2—3. 4—5. § 23; 10 sqq. § 24; 23—24. § 31; 8 sqq. 19 sqq. § 34; 2—3. § 35; 17 sqq. § 37; 19—21. § 39; 8 sqq. § 40; 26 sqq. § 41; 3. § 42; 16—21—23. § 45; 25—26. 28 sqq. § 47; 19 sqq. § 49; 25—28, 22—23. § 50; 2 sqq.[1]). § 51; 17 sqq. § 52; 14—15. § 55; 10—12. § 56; 21—23—25. § 59; 27. § 63; 13. § 64; 23. 28 sqq.

3. Ἀσύνδετον sive dissolutio (dissolutum):
Quint. I. O. IX, 3, 50. Cf. 1, 34. Auct. IV, 30, 41.

§ 6; 8—9: .... pietas in rem publicam nostram, labor, adsiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, spes pro periculis praemiorum.

Similia: § 9; 25. § 15; 28—29. § 18; 14. 16. § 24; 24—25. § 30; 19—20. § 31; 21. § 32; 25—26. § 36; 12. § 39; 6 sqq. § 40; 20—21. § 43; 5—6. § 46; 9—10. § 56; 16—17. § 58; 21—22. § 61; 16—17.

4. Ἰσόκωλον (πάρισον) sive compar:
Quint. I. O. IX, 3, 75; cf. 80. Auct. IV, 20, 27; 28.

§ 2; 14—15: .... non opinione tanta vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur.

Similia: § 13; 5—6. 9—10. § 23; 13—14. § 30; 23. § 34; 9—10. § 35; 25 sqq. § 39; 11—14. § 41; 11. § 42; 24—25. § 43; 14—16. § 47; 19—20. § 55; 3—4. § 57; 8—9. § 61; 21—23. § 63; 11 sqq. § 64; 24—25. 26—28. § 65; 8 sqq.

5. Ὁμοιοτέλευτον sive similiter desinens:
Quint. I. O. IX, 3, 77. Auct. IV, 20, 28.

§ 8; 7—8: quidquid vero non licet, certe non oportet.

Similia: § 5; 4 sqq. § 9; 25—26. § 10; 1—3. § 11; 9—10. 15—17. § 16; 9 sqq. § 17; 25 sqq. § 20; 16—17. § 23; 14—16. § 25; 7 sqq. § 43; 6—11. § 56,; 15—17.

6. Ἀντίθετον sive contentio (contrapositum):
Quint. I. O. IX, 3, 81; 82. Auct. IV, 45, 58.

§ 61; 27—28: Reprendo neminem, sed assentior non omnibus.

Similia: § 6; 12—13. § 9; 15—16. § 14; 16—17. § 26; 1—2. § 49; 29 sqq. § 58; 20—22. § 62; 4. 8. § 64; 1—2. § 65; 11—12. 16—17.

---

[1]) Septies Cicero quaestiones incipientes facit vocabulo „quid".

b) Figurae sententiarum: Quint. I. O. IX, 2, 1 sqq. 2, 4—5.

1. Ἐρώτημα (πύσμα) sive interrogatio:

§ 10; 6—7: non turpe rei publicae, nonne vobis?

Similia: § 9; 11—13—18—23. § 12; 24—25. § 14; 18 sqq; 21 sqq. § 16; 18—20. § 25; 1 sqq. § 26; 24 sqq. § 29; 4 sqq. § 33; 8—11. 15—17. 24. § 35; 28—30. 31. § 38; 25—26. § 39; 6—8. § 45; 5—7. § 46; 7 sqq. 15—16. § 48; 7—9. § 49; 21 sqq. § 54; 20 sqq. § 58; 12 sqq. § 61; 17—18. § 63; 9—11.

2. Ὑποφορά (ἀνθυποφορά, διαλογισμός) sive subiectio:

Quint. I. O. IX, 2, 14. Auct. IV, 23, 33; 24, 34.

§ 7; 23 sqq.: Ubi igitur est crimen? Quod eum Pompeius civitate donavit. Huius crimen? Minime, nisi honos ignominia putanda est. Cuius igitur? Re vera nullius, actione accusatoris eius unius, qui donavit.

Similia: § 8; 3 sqq. § 10; 27—28. § 16; 16—17. § 32, 29 sqq. § 45; 25—28.

3. Ἐκφώνησις sive exclamatio (ὁμοτικόν σχῆμα):

Quint. I. O. IX, 2, 26; 27. Auct. IV, 15, 22.

§ 13; 1: O nomen nostri imperi! O populi Romani excellens dignitas! O Cn. Pompei sic late longeque diffusa laus, ut eius gloriae domicilium communis imperi finibus terminetur! O nationes, urbes, populi, reges, tetrarchae, tyranni, — testes Cn. Pompei non solum virtutis in bello sed etiam religionis in pace! Vos denique, mutae regiones, imploro, et sola terrarum ultimarum; vos, maria, portus, insulae, litora!

Similia: § 20; 5—9. § 23; 10. § 31; 6 sqq. § 51; 27 sqq. § 64; 21—22.

4. Προςωποποιία sive sermocinatio (conformatio):

Quint. I. O. IX, 2, 2 sqq. Auct. IV, 43, 55 (IV, 66). Cf. Preiswerk p. 68, 2.

§ 47, 16 sqq. 18: dicat, se non imperitum foederis, non rudem exemplorum, non ignarum belli fuisse. e. q. s.

5. Ἀποστροφή sive sermo ab iudice aversus:

Quint. I. O. IX, 2, 38.

§ 32; 5—8: Ignosco tibi, si neque Poenorum iura calles (reliqueras enim civitatem tuam) neque nostras potuisti leges inspicere; ipsas enim te a cognitione sua iudicio publico reppulerunt.

Similia: § 25; 1 sqq. § 33; 15—17. § 46; 7—10. § 51; 16—17.

6. Ἀποσιώπησις sive reticentia (interruptio): Quint. IX, 2, 54. Auct. IV, 30, 41.

§ 13; 1: Si scientem, — O nomen nostri imperi![1])

§ 3.

Restat, ut quaeramus, cui generi dicendi oratio Balbiana sit addicenda. De his generibus cf. Cic. or. 20—22. 81 sqq. Sunt grande, medium, tenue. Ex secunda huius capitis paragrapho satis apparuisse puto Ciceronem multa arte orationem composuisse, verba disposuisse, tropos figurasque elegisse; vere se praebuit eloquentem, qui in foro dixit, ut probaret, ut delectaret, ut flecteret (Or. 21, 69). Subtilibus argumentis causam Balbi fecit probandam, modice in auditorum animis exornata oratione delectandis se gessit, vehementem in iudicum flectendis, qua re effecit, ut Balbus absolveretur.

Vidimus Ciceronem minime abhorrere ab omnibus et verborum et sententiarum ornamentis, minime verecundum fuisse in transferendis; saepe adhibuit ea, quae Cicero oratori tenui fugienda esse dicit (or. §§ 84 sqq.). Lumina adsumpsit, quae sunt vehementer inlustria. Rem publicam Carthaginiensium, etsi non facit loquentem, tamen terra marique praepotentem tamquam reginam appellat (pro B. § 34); mortuum Marium excitat facitque dicentem (§ 47); multa acervatim frequentans una complexus devicit e. g. §§ 55, 51, 64. Minime pepercit dignitatibus et amicitiis (cf. or. 26, 88), saepe praedicat Pompeium, Crassum, Caesarem, clarissimos viros, Balbi amicissimos; saepius invehitur in adversarium et id vehementissime. Sed a Balbiana abesse videmus ea, quae in illo oratore tenui dicit inesse, dico facetias et dicacitatem; nam cum irrisione quadam verberat adversarium, non possumus dicere eum adhibuisse facetias.

---

[1]) De sententiarum clausulis orationis Balbianae cf. ea, quae Zielinskius protulit in libro suo „Das Klauselgesetz in Ciceros Reden“ (Philol. Suppl. IX, 589 sqq); adhibe tabulam clausularum indicandarum causa a viro doctissimo additam.

Neque Ciceronem „modo perfringere, mode irrepere in sensus, inserere novas opiniones, insitas evellere" videmus. Neque in eum adhibenda sunt ea, quae Cicero de oratore gravi dixit or. 28, 99: .... hic autem copiosissimus, si nihil aliud est, vix satis sanus videri solet. Qui enim nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite definite distincte facete dicere ...., furere apud sanos et quasi inter sobrios bacchari vinulentus videtur. — Is, qui Balbianam attente perlegerit, concedet eam multa arte compositam esse.

Quid autem Cicero de medio illo genere dicendi? Huic, ait, omnia dicendi ornamenta conveniant (or. 26, 91). Multa horum adducit or. § 92 sqq.; quae eadem invenimus in Balbiana; multa habemus verborum lumina, multa sententiarum; latae eruditae disputationes ab eo explicantur et loci communes sine contentione dicuntur. (Cf. or. 27, 95.) Habemus quoddam etiam insigne et florens orationis pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores (or. 27, 96).

Vidimus orationis huius genus esse spretum a subtilibus, repulsum a gravibus. Ergo in mediocritate consedit, cui orationem pro L. Cornelio Balbo habitam ratione habita eorum quae disputavimus omnium addicere non dubitamus.

Vita.

Ego, Ernestus Ricardus Ioannes Kaden, patre Ernesto Ricardo matre Olga Carolina e gente Bamberger natus sum Zvicaviae a. d. VII. Kal. Aug. proximi saeculi anno LXXXVII. Fidei addictus sum evangelicae. Studiorum elementis me dedidi per quattuor annos Lipsiae et Chemnitziae; per novem deinde annos frequentavi gymnasia regia Chemnitziense, Dresdense, Lipsiense, ubi anno 1907 Bernhardo Gerth rectore maturitatis assecutus sum testimonium.

Civibus academicis addictus fui per unum semestre Monachiae, per duo Lipsiae, per quem annum stipendia merebam, per duo Gissae, per tria Berolini. Vere anni 1911 Gissam reversus ultimis studiis me dedidi.

Docuerunt me hi viri doctissimi:

Monacenses: Crusius, Furtwängler, Krumbacher, Lipps, Otto, de Pöhlmann, Vollmer.

Lipsienses: Richter, Schneider.

Gissenses: Behaghel, Groos, Haller, Immisch, Körte, Krüger, Messer, Sauer, Siebeck, Strack, Süß, Walde.

Berolinenses: Diels, Harnack, Lesser, Meister, E. Meyer, P. M. Meyer, Norden, Preuner, Roediger, Roethe, E. Schmidt, Sieglin, Simmel, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff, Wölfflin.

Per tria semestria Monachiae et Gissae exercitationibus proseminarii philologici interfui moderantibus illic Ottone hic Immischio et Koerteio; per quattuor semestria eis, quae ad stilum Latinum rite excolendum pertinent. Berolini per tria semestria sodalis eram instituti illius, quod Antiquitatis studiis dicatum est, per primum semestre praeterea fui in proseminarii philologici superiore cursu, cui tum Meisterus praeerat. Gissam reversus per unum annum sodalis eram ordinarius superioris cursus seminarii philologici Immischio Koerteioque moderantibus.

Admiserunt me ad exercitationes historicas Strack, ad papyrologicas P. M. Meyer, ad archaeologicas Preuner. Examen rigorosum sustinui magna cum laude d. 17 mens. Iulii anni 1912; ut facultatem docendi mihi comparem, examen subibo initio anni 1913.

Omni e praeceptorum meorum numero imprimis Ottoni Immisch propter singularem benignitatem quasi paternam semper in me collatam, qui etiam in hac dissertatione conscribenda mihi auxilio erat, optimas maximasque agam in aeternum gratias.